1647

ANATOMIA SOCIETATIS JESU:

Seu

PROBATIO SPIRITVS JESUITARUM.

Item,

ARCANA IMPERII IESVITICI CVM INSTRVCTIONE SECRETISSIMA PRO SVPERIORIBVS EIVSDEM.

ET

DELICIARUM JESUITICARUM SPECIMINA:

Tandem

DIVINA ORACULA DE SOCIETATIS EXITV.

AD EXCITANDAM REGVM ET PRINCIPVM CATHOLICORVM ATTENTIONEM VTILISSIMA.

ANNO M. DC. XXXXIII.

THE NEWBERRY LIBRARY

Case
F
39
.326
1643an

Malach. 3.

Ipſe quaſi IGNIS conflans, & quaſi herba full-lonum: & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.

Jerem. 11.

Tu Domine demonſtraſti mihi, & cognovi: tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum.

Jerem. 6.

Probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & ſcies & probabis viam eorum. Omnes iſti Principes (ſeu Superiores) declinantes, ambulantes fraudulenter. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.

47-2035

AVCTOR LECTORIS.

CVM omnium Chriſtianorum ad ſalutem vehementer intereſit, eos non credere cuivis ſpiritui, ſed probare ſpiritus, utrum ex Deo ſint: ſatis certum habeo, neminem Ieſuitarum, qui ſpiritum Dei habet, graviter laturum, quod rationem ſpiritus eorum probandi alios docuerim. Si quis enim manſit in Societate Spiritus à S. Ignatio condita, ad Chriſtum pertinere invenietur, & omnium bonorum gaudium implebit. Sin autem ex illa Spiritus Societate exiviſſe in mundum, iamque ad Carnis & Sæculi Societatem pertinere deprehendetur, non magis habet cur mihi ſuccenſeat, quam floris extincti fœmina, cur ſpeculum rugas ſeniles ei exhibens ſolo illiſum comminutumque velit: Quis neſcit, quanta paſſim omne Ieſuitarum nomen invidia flagret atque infamia? Cuiꝰ cauſa eorū benevoli in Societatem trāsferunt, quod de Eccleſiæ Chriſti primitiis Judæi Romæ affirmant Actor. 28. *De hac ſecta notum eſt nobis, quod ubique ei contradicitur*, quodque de ipſo Chriſto S. Simeon vaticinatur Luc. 2. *Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur.* Rurſum verò qui quo iu[re]

 qua-

quaque iniuria minus Ordinem eorum amant, in eum conferunt illud Angeli de Iſmaele Geneſ. 16. *Hic erit ferus homo, Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione univerſorum. FRATRVM* (id eſt Monachorum) figet tabernacula. Minimè proinde vulgare meum in Societatem eſt promeritum, cum hac ejus Anatome non modò inſtitutum eius ab omni reprehenſione vindicem, ſed & corruptelam eius non niſi ad paucos pertinere, multos etiam aliena potius, quam ſua culpa, à primigenio eius Spiritu deſciſcere, magnum autem aliorum numerum, qui ſibi in virtutis amore ac ſtudio conſtant omnium bonorum amorem opemq́; mereri demonſtrem, illud denique erga Ieſuitas facere omnes doceam, quod S. Judas monet in epiſtola *Et hos quidem arguite iudicatos: illos verò ſalvate de igne rapientes: aliis autem miſeremini in timore* (eorum nempe ſaluti timentes) *odientes & eam, quæ Carnalis eſt, maculatam tunicam*, quæ Tunica nihil aliud eſt, quam Carnis prudentia, quæ ſæcularitate, Aulicismo, Ambitione, Avaritia, Simulatione & Diſſimulatione, ſive Hypocriſi, præcipuè ſpectatur. Hanc Tunicam ſordidam & maculatam pleroſq́; Primorum Societatis indutos eſſe ipſe Societatis Patriarcha Claudius Aquaviva locis à me laudatis conqueritur, ut abeſſe non poſſit, quin iam ſuperiorum Exemplo complures eadem induti inveniantur

tur abiecta illa Tunica, quam Pater Ignatius filiis ſuis fecerat, colore atq; inſignib. Chriſti conſpicuam, Mundi puta & omnium quæ in mundo ſunt atq; à mundo expetuntur, deſpiciētiam atq; contemptum. Hæc enim eſt *polymita* illa *Tunica*, ſive varia & verſicoloria veſtis, & Chriſti *Liurea*, ut vulgò loquūtur, ex quâ familiæ eius domeſtici cognoſci, ab iiſque qui de mundi cohorte ſunt, internoſci poſſunt. Hac Ieſuitas amiciri Ignati⁹ voluit ut *in Examine Generali eorum, qui in Societatem admitti volunt*, videre eſt. Eius enim capite quarto monet, *neceſſarium eſſe, ut quis non ex parte tantum* (id eſt, non per ſola Obedientiæ, Paupertatis & Caſtitatis vota) *ſed omninò ab omnib. abhorreat, quæ Mundus amat & amplectitur: & admittat ac totis viribus concupiſcat, quicquid Chriſtus amavit & amplexus eſt. Vt enim mundani homines* (inquit) *diligunt & quærunt honores, famam magni nominis, exiſtimationem in terrà ſicut Mundus eos edocet: ſic qui ſeriò Chriſtum amant, ardenter exoptant iis contraria, indui nimirum eadem veſte & inſignib. Domini ſui pro ipſius amore, eo quod exoptant aſſimilari & imitari aliquo modo Chriſtum, eiusq; veſtibus & inſignib.* (ſive Liurea) *indui: quandoquidem ille ipſe propter maiorem profectum noſtrũ ſpiritualem induit, nobisq; exemplum dedit, ut* IN OMNIBVS (etiam in fuga Aularum, in ieiuniis & vigiliis multis, in pſalmodia, in fame

 & ſiti

& ſiti, in frigore & nuditate, in egeſtate deniq; rerum omnium, & in mala ſpecie hominumq; ſcandalo & murmurandi occaſſone, ſedulò vitata (*eum imitari & ſequi velimus. Examinandus proinde interrogetur, an decreverit paratuſq; ſit iniurias, illuſiones & opprebria in Chriſti inſignib. incluſa, quæ ei inferentur per quemvis viventium, admittere* & ſciſſam Chriſti Tunicam polymitam ſive Liuream) *patienter ferre.* Hoc ipſum in libro, qui *Regulas Societatis Ieſu* complectitur, capite undecimo *Summarii Conſtitutionum* ab omnib. Ieſuitis obſervandum præcipitur: *& Alfonſus Rodericius* parte ſecunda de Perfectionis & virtutis Chriſtianæ exercitio, eos qui hanc regulam non examuſſim obſervant, negat eſſe verè Religioſos, neq; Ieſuitarum præter nomen quicquam habere. Hi ergò ſunt, quorum carnalem ſanguinibus maculatam tunicam odiſſe omnes debent, ſerioque votis omnibus comprecari, ut in illis, qui ſic ſordidati ſunt: verum fiat, quod Iſai. 4. legimus. *Omnis qui relictus fuerit in Sion, Sanctus vocabitur, ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem laverit de medio eius ſpiritu iudicii & ſpiritu ardoris.* Nunc quidem dubium non eſt, quin veſtis ſic contaminata neminem pluſquàm ipſum Patrem Ignatium offendat, ut videatur illis Iacobi Patriarchæ verbis uti poſſe: *Tunica filii mei eſt. Fera peſſima devoravit eum.* Meritò proinde

inde mihi polliceor, facturos omnes germanos Ignãtii filios, ut de labore meo tãto, ipſorum cauſa ſuſcepto, multum me ament, ac pro mea ſalute viciſſim laborem capiant, *aſſiduè in orationibus pro me ſoliciti, ut ſtem plenus & perfectus in omni voluntate Dei*, cum omnibus aliis ſedentibus ac ſilentibus unus ego ad opem Societati ferendam reb⁹ relictis occurrerim, contemtaque eorum offenſa, qui cum ſani ſibi videantur non poſſunt non Medicum peſſimè odiſſe, ad ſalutem eorum operæ meæ, minimè pepercerim, aliorum denique *in quorum manu eſt ruina hæc*, ad firmiter ſuffulciendum, prohibendumque Societatis interitum, attentionem ac diligentiam excitare conatus fuerim.

Neque verò metuendum mihi videtur, ne illa res officii huius mei gratiam minuat, quod quæ non niſi paucorum culpa eſt, eius reliquos nullo ſuo merito participes facere videor, cum quæ delinquuntur, ita γενικῶς vel univerſè à Ieſuitis deſignata inſimulo. Pari enim modo cum *unus homo* ſacrilegio Deum offendiſſet, ipſe Spiritus ſanctus Ioh. 7. univerſe de populo ſic pronunciat. *Filii Iſrael prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathemate.* Nec diſſimiliter Chriſtus indiſcriminatim Phariſæos exagitat, quod cæci ſint & duces cœcorum: quod caritatem Dei in ſe non habeant: quod omnia bona ſua

faciant, ut videantur ab hominibus: quod foris appareant hominibus iuſti & ſpecioſi, intus autem pleni ſint hypocriſi, iniquitate & omni ſpurcitia: quod longas orationes faciant, ut ea occaſione devorent domos viduarum & uncta patrimonia domos ſuas avertant: quod ædificent ſepulcra prophetarum & ornent monumenta iuſtorum, ut ſcilicet acceptas eleemoſynas ad cultum Dei & Sanctorum eius convertere videantur, ſicque multò plures opes à piis hominibus accipiant: quod Pontificis Caiphæ, hominis athei & Sadducæi, aliorumque Sacerdotum gratiam aucupantes, hominibus auctores eſſent opes ſuas potius in Corbanam ſeu templi gazophylacium mittendi, quàm ad tolerandam Patris ac matris egeſtatem conferendi, ut ſcilicet magnam pro Templo ſolicitudinem gerere viderentur, & Sacerdotes etſi Saducæos, nec ſpiritum ullum, nec corporum reſurrectionem credentes, viciſſim haberent propitios: quod maximis ſuis laboribus propter ſpiritualem proximorum ſalutem ſuſceptis longè plus hominibus nocerent, quam prodeſſent, & mare atque aridam circumeuntes, ac tantum non ad extremos uſque Indos penetrantes, ut vel unum facerent proſelytum ſive ex gentili Judæum & regni filium, eundem mox ſuæ avaritiæ, ambitionis, invidiæ & hypocriſis exemplo facerent filium gehen-

næ.

næ. Neque tamen viri optimi inter Phariſæos defuere, qui nulli prorſus criminum iſtorum affines eſſent, tanquam Nicodemus, Joſephus, Jairus, Gamaliel & Paulus, qui *ſe gloriatur eſſe Phariſæum & filium Phariſæi, in lege converſatum ſina querela.* Hi & horum ſimiles, nullius ſuperiorum culparum ſibi conſcii, nihil cauſæ habere ſibi viſi ſunt, cur Chriſti in Phariſæos invectivis contumeliam ſibi factam interpretarentur, quorum modeſtiam & animi æquitatem probos & prudentes Jeſuitas, velut innocentes ætatis noſtræ Phariſæos, imitaturos confido.

Si quis autem nominis diſſimulationem aliquid monſtri alere ſuſpicetur, nihil Chriſtiana caritate alienum à ſe fieri credat, ſi perſuaderi ſibi patiatur, non aliam mihi nominis mei hoc tempore occultandi cauſam eſſe, quam Paulo Apoſtolo fuit, ſuam ad Hebræos epiſtolam nomine ſuo non adſcripto emittenti. Sciebat quippe ſe nullo ſuo merito Hebræis inviſum eſſe, quod Moyſen contemnere & legi eius obrogare crederetur. Itaque verebatur, ne nominis ſui invidia aditum epiſtolæ ac diſputationi ſuæ ad Hebræos obſtrueret. Similiter autem & Propheta ille 3 *Reg.* 20. occurrit regi Achab in via, & pulveris ſanguinis mixti aſperſione mutavit oculos ſuos & f[illegible], ne à R[illegible] [illegible], uſq; eo ſpa-
[illegible]

dicio condemnandum poſſet adigere. Eadem ipſa mihi eſt cautio, proptereaq; intelligens Lector non tàm quis, quàm quid afferat, ad rem pertinere cogitabit. Si tamen Summus Pontifex edicto Auctorem nomen ſuum edere iubeat, ſeque veritatem omnium Anatomiæ partium cognoſcere velle fidem faciat, nullam in me moram fore teſtor, quin juſta ejus capeſſam, & ad imperium ejus, quem velut Chriſti in terris Vicarium obſervo & colo, agilis occurram. Ac niſi omnia me fallunt, judicio ejus perfacile probavero, ſi magnos S. Ignatius in fingenda condenda Societate labores cepit, non multò minores eſſe, quos ipſe exhauſi in eadem refingenda, & diſſolutionem ab ea peſtemque prohibendo. Quod utinam Vrbanus noſter, eo ingenio & eruditione Pontifex, totam hanc cauſam ſuæ cognitioni ſeriò vindicaret! Fortaſſis mea potiſſimum opera hæc eum mox laus ſequeretur, ut ſi S. Ignatius, Societatem tanquam Romulus æternam Urbem condidit, nec tamen Furio Camillo Urbem ab hoſte jam captam recuperanti obſtitit, quin alter ejus Parens conditorque audiret, non diſſimiliter Urbanus Societatem exitio maturam conſervaſſe omnium gentium linguis meritò prædicetur: quod certè multis partibus glorioſius illi fuerit, quàm Romam ex lateritia marmoream feciſſe.

ANA-

ANATOME SOCIETATIS JESV,

Sive probatio Spiritus Jeſuitarum.

1. Joh. 4.

Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint: quia multi exiverunt in mundum.

Probatio Spiritus Jeſuitarum, fit ex ſocietatis

Primoribus ſeu ſuperioribus: quia, ut ſcriptum eſt Eccle. 10. *Secundum judicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis eſt rector civitatis, tales & inhabitantes in eâ.* Et ſecundum Ariſtotelem q Ethic. 8. *Civitas aut Collegium id dici ſolet, quod in ea eſt τὸ κύριον, ſeu præcipuum,* ſive, *quod in ea dominatur.*

Fructibus ſive effectis. Sic enim Chriſtus judicare docet Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Et Luc. 6. *Vnaquæque arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos.*

De Superioribus Societatis Jeſu.

Superiores Societatis, alii utuntur.

Prudent à Spiritûs, DEO ſoli ſervientes: qui omnium bonorum amorem merentur. Horum

Finis Ultimus, eſt Gloria DEI & Salus animæ propriæ.

Medius, eſt Salus ſpiritualis proximorum, ut ab erroribus fidei, aut à peccatis revocati, ſalvi fiant.

Media ad conſequendum Finem, ſive Inſtrumenta, ſunt partim

Res, eæq; pertinentes vel ad Perfectionem ſui; ac vel

Communis cum omnibus Religioſis, ut Vota Obedientiæ, Caſtitatis, Paupertatis.

Propria Societatis: ut Votum quartum, eundi quocunq; Pontifex aut Superiores miſerint.

[illegible] aliorum: & vel

(ad

[illegible]

Eloquentiam & Linguarum Hebrææ, Græcæ & Latinæ intelligentiam.

Sapientiam divinam ſeu Theologiam.

Humanam ſeuPhiloſophiam.

Voluntatem movendam, ut Exempla propria virtutum. Miniſterium Verbi & Sacramentorum Pænitentia & Euchariſtiæ.

Perſonæ aliæ ſunt Primariæ, eæq; uſus vel Eccleſiaſtici, (ut

Prædicarores, liberè Docentes Veritatem Fidei & Virtutes morales.

Arguentes Errores Fidei & Vitia & peccata.

Confeſſarii, præditi Scientiâ & virtute.

Scholaſtici, ut

[illegible] Literarum [illegible] Humaniorum, [illegible]

[illegible]

Morum erga Deum & Homines.

Diſcipuli Interni, ſive Socii. Externi.

Secundariæ, eæq; uſus Domeſtici, ſive Coadjutores temporales.

Carnis ſive ſæculi, DEO & Mammonæ ſervire cupientis: qui quoniam in Mundum exiverunt, ac Deum oderunt, (ut Chriſtus docet Matth. 6.) omnibus bonis odio eſſe debent, ut Davidem imitentur, cujus verba ſunt Pſal. 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos duos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Et Pſal. 25. *Odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo, in quorum manibus iniquitates ſunt: dextra eonum repleta* (etſi nunquam ſatiata) *eſt muneribus.*

Finis Oſtentatione, qui præfertur & ſimulatur

Ultimus eſt Gloria DEI

Salus animæ propriæ.

Medius Remotior, Salus ſpiritualis proximorum.

Proxi-

Proximus, Dignitas Sedis Apoſtolicæ.

Vide probationem p. Veritate, qui revera ſpectatur; & omnium, quæ in Societate ex iſtorum Superiorum mente fiunt, menſura eſt & regula.

Et hic eſt

Ultimus, Bonum cujuſq; proprium Utile: Iucundum: Glorioſum.

Medius, Remotior, Gloria & amplum Imperium Generalis præpoſiti Societatis

Vide ejusdem utilitatem p. Proximus, Monopolium rerum ſummæ neceſſitatis & dignitatis.

1. Gratiæ Apud Deum: ut nemo in DEI gratiâ eſſe poſſit; nec veniam ſive peccatorum abſolutionem obtinere, niſi per Ieſuitas: Apud Principes & Magnates ut nemo Honores, officia & opes ab iis conſequi poſſit niſi per Jeſuitas.

2. Fidei.

2. Fidei, Catholicæ, ut nemo ex pagano Chriſtianus, aut ex Hæretico Catholicus fieri poſſit, niſi operâ Jeſuitarum.

3. Perfectionis, ut nemo poſſit eſſe perfectus aut ſanctus, niſi per Jeſuitas, id eſt, niſi in societatem eorum receptus.

4. Eruditionis, ut nemo divinas & humanas literas poſſit diſcere niſi Magiſtris utatur Jeſuitis.

5. Virtutis, ſeu Bonorum morum, ut nemo benè moratus fieri poſſit, niſi per monita & exempla Jeſuitarum.

6. Famæ ſeu Boni nominis, ut nemo bonus [illegible]

existimetur, niſi ſuffragantibus, aut ſaltem non refragantibus, Jeſuitis.

Vide ej⁹ ſpecimen. p.

Media eorum ſunt

Res: eæq; partim

Informantes mentem ut doctrina

Exoterica ſeu Publica, quam cum omnibus communicant, in dictationibus, ſermonibus & libris.

Acroamatica, ſeu Secreta, myſtica, arcana, & in myſterio abſcondita; quâ nõ niſi magis fidos impertiuntur.

Conciliantes autoritatem

Directè: Familiaritas & teſtimonia principum & magnatum, exemplo Phariſæorum, tubis ante ſe canentium, ut honorificarentur ab hominibus.

Editio multorum & magnorum voluminum, majorem partem aliunde exſcriptorũ.

Obliquè: Obtrectatio erga Perſonas eorum, qui extra Jeſuitarum Scholas magnã

eru-

eruditionis aut virtutis
laudem ſibi pepererunt.

Inſtitutum & mores aliorum
ordinum Religioſorum,
qui magnam perfectionis
opinionem habent.

Libros ab antiquis & novis,
qui Jeſuitæ non fuerunt
ſcriptos : ſub prætextu,
quòd ab illis vel fidei vel
bonis moribus immineat
periculum : Cùm Jeſuitarum libri ad omnem eruditionem & virtutem ſufficiant.

Cenſura librorum inprimendorum, ut nuſquam aliquid inter Catholicos edi
poſſit, quod minus ſit in
rem aut honorem Jeſuitarum: aut aliis ad formam, & doctrinæ magniq; erga Eccleſiam aut
rempub. meriti opinionem
ſuffragari poſſit.

Moventes animum

Alliciunt ad

Societatem, ut quis Societatis membrum fiat aut
maneat:

Præ-

Prædicatio Societatis: & inſtituti ac fructuum ejus ſupra omnes alios Religioſos Ordines.

Ineſcatio Juventutis, voluptariis jucunda, avaris utilia, ambitioſis ſplendidà proponẽdo.

Educatio Novitiorum mollis & delicata, ne à nomine Societati dando deterreantur.

Caritatem, ut quis Societati faveat: quæ efficiunt Oblectationem

Adulationes, maximè Principum, Epiſcorum, Magnatum & divitum.

Spectacula ſcenica & Comœdiæ.

Acroamata & ſymphonia.

Munditia exquiſita: exemplo Phariſæorum.

Spem, ut cum ſuffragantur à ſe pendentibus

ad

ad impunitatem deli-
(ctorum;
ad opes:
ad honores.
Liberalitatem; ut quis im-
penſas faciat in eorum
Sumptuoſiſſimas ædifica-
(tiones.
Bibliothecam:
Supplicationes, ſeu pro-
(ceſſiones ſolennes:
Sacram ſupellectilem &c.
Compeſcunt & deterrent:
ut eſt inſectatio ſeu perſe-
cutio eorum qui vel à So-
cietate deſciſcunt, vel mi-
nus in eam creduntur be-
nevoli, id eſt, qui pruden-
tiam iſtam Carnis, tan-
quam DEO inimicam, in
hominibus Religioſis fe-
rendam non putant. Gal.
4. *Ergò inimicus factus ſum*
vobis, verum dicens vobis.

Perſonæ ſeu ſubditi conſiderantur
Ex uſu Primariæ: Internæ, Eccleſiaſtici:
{Prædicatores:
Vocales, in docen-
dâ Veritate Fi-
dei, & arguen-
dis Hæreticis.
Mul-

Multi in arguendis vitiis & peccatis principum & Epiſcoporum.

Confeſſionarii, erga principes Magnanates minimè tetrici ſed faciles & benigni.

Scholaſtici: ut Magiſtri

Literarum divinarum & humanarum: multi potius, quam docti: qui ſint idonei magis ad multiplicanda, quàm ad roboranda & perficienda Collegia:

Moram, qui velut aves illices, multos in Societatem illiciant.

Externæ: Mares: Pueri, maximè divitum filii, aut nobiles, aut ingenio præſtantes: iiq; numero multi, unde plures in Societatem cooptari poſſint,

Pueriles, maximè Magnates, futiles & cre-

creduli, rebuſq; frivolis ac nugis puerilibus voluptatem capere ſoliti.

Fæminæ : maximè Viduæ dotatæ.

Secundariæ: ut Coadjutores temporales, ſive Laici magno numero, qui cæteros maximè Novitios & in ſtudiis occupatos, omni operis faciendi neceſſitate & miniſterio ſervili liberent.

Ex affectu : illi fines Superiorum

Intelligunt: & in Societate manent

Boni: Dolent ſuâ cauſâ, quòd ex ſocietate exire non poſſint ſine infamiâ, & ſine hoſtili Superiorum odio.

Alienâ cauſâ, quod plurimos virtute & meritis præſtantes viros, quos habet Societas, ab omni officiorum ſpe in perpetuum excluſos, multas iniurias ab indoctis & improbis Superioribus accipere vident.

Metuunt : Depravationem ſui ex Imperio ſuperiorum exemplo æqualium.

Odium

Odium aliorum, ex morum diſſimilitudine, cùm eveniat illud Pſalmi: *Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.*

Depravantur, ut conentur jugum Superiorum

Excutere Apertè, concitandis motibus in Societate, turbis & ſeditionibus;

Tectè, inſinuando in gratiam & familiaritatẽ Principum & Magnatum, quorum præſidio adverſus Superiores & Judices vel Delatores muniantur.

Levare: Deferendis Sociorum nominibus, ſive clanculum eos accuſando: ut alienâ impenſâ Superiorum gratiam ſibi comparent.

Similiter obſequendo Superiorum voluntati, vel adulando.

Æruſcando, circumventis peculioſis viduis uncta earum patrimonia Societati lucrifaciendo.

Ob-

Obtrectando gloriæ eorum, qui extra ſcholas Societatis magnam doctrinæ & virtutis opinionem conſecuti ſunt.

Non intelligunt propter ſimplicitatē.

Parum utiles Eccleſiæ ac Reipublicæ, ob

Veritatem, ratione

Doctrinæ: cùm propter vitioſam docēdi rationem, quâ Societas utitur, non multum in literis proficiant: nec niſi per vulgatas omnibuſq; notas Scholarum cantinclas addiſcant.

Vitæ, cùm eorum ignem ſive zelum cæterorum exempla ſuffocent & extinguant, ut à ſæcularium moribus parum abeant.

Opinionem, cùm quamvis ipſi ſint boni & innocentes, cæterorum tamen ſimiles, nulloq; gene-

genere meliores à multis credantur, eiſque invidia ex communi Societatis infamiâ, nullo ipſorum merito, conflettur.

Noxii, cùm benefacere ſe putantes, Mangoniam facere incipiunt, & pueros blandiendo, nec pauca de ſtatu Societatis mentiendo in naſſam illiciunt.

Fructus ſive effecta & opera Societatis Jeſu Primigeniæ, quam S. Ignatius condidit, & Apoſtolica Sedes probavit: Cujus inſtitutum nemo Catholicus, ſive propter Apoſtolicæ ſedis approbationem, ſive propter conditoris pietatem non magnoperè commẽdare poteſt, quin ſociis ex regulæ præſcripto viventibus libenter illa Apoſtoli verba impertiatur. 1 Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii eius Ieſu.* Et Philip. 2. *Si qua Societas ſpiritus, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idem ipſum ſentientes, nihil per contentionem neq; per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes,*

nec quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum

Per ſe, id eſt, nati ex pietate, & ſecundum mentem, ſive intentionem S. Ignatii

Fructus

Interni, ſive in Societate

Virtus perfecta, in pauciſſimis, quos ſcilicet Eccleſia conſecravit, ſive canonizavit.

Medicoris in multis, maximè Societate adhuc novâ & fervente.

Doctrina ſive eruditio mediocris.

Externi, extra Societatem

Mediocris virtus & eruditio multorum Catholicorum.

Mediocris meſſis inter Gentiles & Hæreticos.

Per accidens, & præter S. Ignatii intentionem

Interni, in Societate: ut Corruptela Societatis ex Eunomiæ vitio, & ob defectum nomotheſiæ ſine regulæ, cum S. Ignatius plus pietatis & bonæ mentis, quàm eruditionis & aut prudentiæ ad regulam condendam attulerit, ſeduloq; caverit,

caverit, ne ſuæ ſocietatis homines quicquam Monachorum ſimile haberent, qua de re videri poteſt Mariana in dicto libro c. 1. 2. & 19.

Externi, extra Societatem

Primi: Intermiſſa Cleri & Curiæ Romanæ reformatio: Quoniam Jeſuitæ ſpem attulerant, fore ut per ipſos etiam ſine tali reformatione Pontificis authoritas conſervari, & Hæreſes extingui poſſent. Hac de re videantur Gentiani Herveti epiſtolæ in Actis Concilii Tridentini.

Contenta Monachorum, maximè Benedictinorū, opera qui ſi reformati fuiſſent, longè amplius, quàm Societas, Eccleſiæ ac Reipublicæ prodeſſe potuiſſent. Sed quoniam reformatio fieri non poterat, niſi Monaſteria multa opulenta ſæcularibus Clericis commendata, ſive in prædam data, Ordinib⁹ ſuis reſtituerent.

 ren-

erentur, & ibi homines Hebraicè, Græcè & Latinè benè docti, tum Philoſophi & Theologi luculentis ſtipendiis cōducti docerent: ſatius viſum fuit, novum Ordinem inſtitui, quàm veteres inſtaurari.

Orti ex primis

Pertinacia & ſtabilitas Hæreſeon, ob ſcandala non ſublata, & intermiſſam Cleri & Curiæ reformationem.

Exigua meſſis inter Gentiles: quoniam operarii, quos ſocietas præbuit, erant numero pauci, nec oculis hominū exhibebant ſigna Apoſtolatus, omnem nempe patientiam & mortificationem & ſtigmata Jeſu in carne ſuâ, quippe qui in victu & amictu nihil à Communi honeſtorum hominum conſuetudine diſcedant.

Interpolatæ ſeu depravatæ, quam Satan & caro ac ſanguis invenit & tritico S. Ignatii manu ſeminato, velut zizania ſuperſeminavit. Jn quam cōvenit prophe-

phetic͂u illud Iſa. 17. *Quia oblita es DEI, Ieſu ſeu ſalvatoris tui & fortis adiutoris tui nõ es recordata* (cáq; ob cauſá ad humanæ prudentiæ & calliditatis artificia confugiſti) *& germen alienum ſeminabis. Mane* quidem *ſemen tuum florebit*, ſed *in die hæreditatis ablata eſt meſſis*, *& dolebis graviter*, poſtrema prioribus tàm parum reſpondere. Nec abludit ab Ordine Jeſuitico, quod de Homine Salomo pronunciat Eccle. 7. *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Dominus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus ſeu conputationibus*, ut eſt in Hebræo & Chaldæo, qui ſcilicet ſeipſum quærit, & *Vtile ſollicitis computat articulis.* Hanc degenerem Societatem Sedes Apoſtolica nunquam probavit, nec probare poteſt, cùm prudentia carnis inimica ſit DEO. Rom 8. Itaq; omnes boni illis Chriſti verbis rectè faceſſere eam jubent, *Vade retrò Satana, Quia ſcandalum es mihi: non enim ea ſapis, quæ DEI ſunt, ſed quæ ſunt hominum.* Cum ergò Jeſuitæ degeneres contra interdictum ſecundæ congregationis generalis, quo nova Collegia admitti vetatur, Collegia multiplicare, eamq; ad rem, Monaſteria ſibi dari poſtulant, etſi ſciant diverſorum Pontificium judicio id

 ſine

ſine ſacrilegio fieri non poſſe, & opes Monaſteriorum eſſe *panem pauperum, quem qui defraudat, homo ſanguinis eſt* ſive homicidii reus Eccl: 34. tam pii principes, Davidis exemplo facere debent, qui ſic de ſe prædicat Pſal. 15. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Vide teſtimonia p. 15.

Interni fructus Societatis depravatæ

In ſpecie, in

Superioribus: Ambitio Præpoſiti Generalis, Monarchiam, lateq; patens Imperium affectantis.

Aulicismus & ſæcularitas ac polypragmoſyne.

Tyrannicus imperandi modus, id eſt, Fraudulentia & Violentia.

Subditis: Mollis & delicata Novitiorum (educatio;

Laicorum magnus numerus, atq; licentia magna.

Mangonia, ſive Diabolica homines ineſcandi & in ſocietatem illiciendi ratio.

Ægritudo animi, & ex Societate exeundi deſiderium.

Patrimoniorum in Societatem illatorum jactura & mendicitas.

Æru-

Ærufcatio, & hæreditatum captatio.
Adulatio erga Superiores, & exteros Magnates.
Quadruplatio, & Sociorum delatura.
Inuidia erga viros doctos & claros extra Societatem.
Contumacia erga Superiores.
Aulicifmus & Sæcularitas.

In genere:
Multiplicatio Collegiorum, contra interdictum ſecundæ Congregationis Generalis Societatis.
Multitudo ſemi-doctorum magiſtrorum, quibus multæ cathedræ occupari poſſunt.
Sophiſtica docendi ratio non ſpectans profectum ſtudiorum, ſed ſerviens ambitioni Patris Generalis, Collegia multiplicare, multoſq; Magiſtros habere cupientis, quos in novis ſcholis collocet.
Paucitas vel penuria hominum in literis & ſcientiis eminentium.
Mollitia, ſive laborum & in commoditatum impatientia.
Dilapidatio facultatum Societatis, & ingens æs alienum.
Hypocriſis, duplicitas, ſimumulatio & diſſimulatio ſub perſonâ

ſonâ perparcè viventium, nulliq; ſe ſimpliciter oſtendentium.

Inficiatio impudens eorum, quæ Catholici, præcipue q; Clerici ſuper candelabro poſiti deſignant,

Apædeuſia, & contumelioſa contentioſaq; adverſus heterodoxos. diſputandi & agendi ratio: & Principum ad vim erga errantes parandam dehortatio.

Infamia publica, & mala ſpecies, atq; ipſius S. Ignatii contemtus, quaſi qui tam vitioſum ordinem inſtituerit, cum glorientur Jeſuitæ, *Societatem hodie vigere ac florere, inq; primâ Fundatoris regulâ ſtare & ſpiritum, quo primum, animata coaluit, adhuc valentem ac vegetum eſſe.*

Externi fructus ſunt

Privati, qui in eo ſpectantur, quod

Multi pueri & adoleſcentes, Jeſuitarum impulſu, voto Caſtitatis incautè ſe illigant, ut poſtea Jeſuitæ fieri neceſſe habeant.

Multi literas oderunt & relinquunt, numero & difficultate regularum Grammaticarum deterriti.

Multi dictationibus Magiſtrorum obruti,

ruti, valetudinis jacturam faciunt.

Multi pecuniis emungunt r, quas impendunt in libros Jeſuitarum inutiles, aut in ſupervacuas eorum ædificationes, Comœdias, Sodalitates, ſupellectilem.

Multi patrimoniis & hæreditatibus ſuis callidè evertuntur.

Multi egentes piorum eleemoſynis minus adjuvantur.

Multi per invidiam infamati impediuntur, quominus publico prodeſſe poſſint, ſi præſertim Phariſæi cum Herodianis aulicis conſpirent.

Multis occaſio præripitur, literarum profeſſione ſe alendi.

Publici: primi: Eccleſiaſtici, ut

Conciliorum raritas: cum Jeſuitæ hominibus perſuadeant, nullas eſſe Conciliorum cogendi cauſas: cùm ipſi præſtant omnia, quæ ad conſervandam fidem morumq; diſciplinam pertinent: mores quoq; capitum Eccleſiæ nullâ correctione indigeant.

Epiſcoporum inhabilitas & ineptia ad munus ſuum, cum Magiſtrorum Jeſuitarum doctrina & exemplo nec Contemplativam vitam, nec patientiam Apoſtolicam addiſcant: à

Confeſſariis etiam vix tertiam muneris partem implentes facilè à peccatis abſolvantur, cumq; Jeſuitæ non ipſi modò vitia Prælatorum non arguant, ſed nec ab aliis argui patiantur, & libros Conciliorum, & reformationis neceſſitatem demonſtrantes inprimi prohibeant, eorumq; auctores Epiſcopis inviſos reddant.

Epicuriſmus Sadducæorum, ſive Clericorum ſecularium qui ſic vivunt, ut nec reſurrectionem mortuorum, nec Angelum aut ſpiritum credere videantur: quippe quos opes corrumpant, nec vel Epiſcoporum, vel Jeſuitarum Magiſtrorum & Confeſſariorum eminens virtus, nec Concilii decreta ab errore revocent.

Infamia veterum Ordinum Monaſticorum, quibus Jeſuitæ cauſas aſſignant ortarum Hæreſeon, & non obſervatæ regulæ dicam publicè impingunt.

Fermentum Monachorum Jeſuitica diſciplina imbutorum, ut munditiem in ſupellectili ac re divinâ, tum quandam geſtium ac ſermonis concinnitatem ſectentur, charita-

tis

ris & miſericordiæ non æquè mores. Sed in vectigalibus magnâ acceſſione & incremento amplificandis, & prædiis fundiſq; continuandis curam omnem & cogitationem defigentes : unde fieri neceſſe eſt, ut alii eos velut avaros contemnant & oderint, omniaq; eorum opera bona ludibrio habeant, alii eos propter nomen ſanctitatis quod habent, imitentur ; eoq; pacto Deus Avaritiæ peccato per totum Reipb. corpus pertinente graviſſimè offenſus, & ſuæ parentans injuriæ, ſuper Germaniam *effundat indignationem furoris ſui & forte bellum, & comburat eam in circuitu.* Iſ. 24. Ut enim ipſe de populo ſuo prædicat Iſ. 57: *Propter iniquitatem Avaritiæ eius iratus ſum, & percuſſi eum : abſcondi ab eo faciem meam & indignatus ſum.*

Opiniones aliquot ſcandaloſæ, nefariæ & hæreticæ quorundam Jeſuitarum, quas diu occultas habuerunt, nunc tandem potentia ſua freti publicare auſi ſunt : velut videre eſt Apologia perfectionis Nicolai à Jeſu Maria Carmelitæ, Romæ bis edita, & Ravenſpurgi nuper recuſa.

Principum, quos Jeſuitarum adulatio, & Confeſſariorum indulgentia corrupit, ut

Tyrannica quorundam imperandi ratio, libidinem pro lege, bonum ſuum privatum pro fine habentium: Cum Superiores ſocietatis eodem modo ipſi quoq; imperent, & Principes ſuos imitatores non modò à peccatis abſolvant, ſed etiam beatificent, & Sanctitatis laude afficiant.

Hypocriſis aliena & ipſis non juſſa agentium, quæ ſcilicet Sacerdote, quàm Principe ſunt digniora.

Oſcitatio & negligentia nihil agentium, omniaq; Miniſtris permittentium.

Egeſtas rem malè gerentium, nulloq; delectu largientium.

Sacrilegia, opes Eccleſiarum in ſuos, aut in alios uſus invitis conditoribus convertentium.

Subditorum, ut

Corruptela fidei, Cum Jeſuitæ partim deuteroſibus ſuis & traditionibus Phariſaicis: partim factis, populum

in

in errores inducant, ut ſibi perſuadeant, poſſe aliquem DEO ſimul & Mammonæ ſervire: poſſe aptum eſſe regno cælorum, qui manu ad aratrum miſſâ retro reſpiciat: Eremitarum & Monachorum opera pænitentiæ, & pſalmodiam non eſſe opera charitatis: & multa alia, quæ Romana Eccleſia, ut impia & hæretica damnavit, Velut videre eſt in Carmelitæ. Apologia perfectionis Ravenſpurgii per quartum edita.

Corruptela morum, ex quotidianis ambitionis, avaritiæ, mendaci loquentiæ. & adulationis Jeſuiticæ exemplis, per quæ diſcipuli eorum fiunt filii Gehennæ, ſicut Pharisæorum diſcipuli, à fermento eorum non caventes.

Ignorantia in literis ac diſciplinis, cum falſâ ſcientiæ perſuaſione: cùm in ſcholis Societatis modum docendi vitioſum eſſe multi primarii Jeſuitæ publicè fateantur: cumque magiſtri novelli ſcholarum ſint nequiores nummis novis, qui in hoc docent, ut diſcant.

Puerilitas, & inepta judicii, ſermonis & converſationis, cùm ſufficiat diſcipulo, ut ſit ſicut Magiſter ejus,

homo bonâ fide Scholaſticus à pue-
ro inter pueros in umbrâ altus &
eductus, vereque animal, quod ab
omnibus deſideretur.

Orti ex primis.

Offenſa DEI & Sanctorum cælitum, ex Eccleſiaſticorum bonorum prophanatione.

Pertinacia Proteſtantium in errore ex malo Catholicorum exemplo, & impudenti manifeſtæ corruptelæ inficiatione: itemq; ex contentioſis & contumelioſis Jeſuitarũ libris qui acerbitate maledictorum minimè temperant, & Principibus arma in heterodoxos induunt.

Impœnitentia, ſive obſtinatio Catholicorum, cùm partim ob Prædicatorum & Confeſſariorum ſilentium peccata ſua pro peccatis non habeant, partim ea operibus arbitrariis & ſponte ſuſceptis, aut levioribus compenſare velint, partim Confeſſariorum Jeſuitarum exemplo ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus nequaquam moveantur.

Bella Civilia, nata ex bello, quod peccatores cum Deo gerunt, (*quis enim reſtitit ei, & pacem habuit?* Job. 9. & ex armigera Jeſuitarum doctrinâ, qui ex-

errantes armis compellendos eſſe docent, ut ad Eccleſiam redeant, etſi ſcandalis veteribus nondum ex viâ ſublatis, quin etiam novis multis objectis, *Eos, qui tranſibant ſimpliciter, convertiſtis in bellum* Mich. 2. Scandalum & murmur publicum adverſus Jeſuitas, malaq; de ipſo S. S. Ignatio, & inſtituto Societatis opinio.

Teſtimonia de vero Fine iſtorum Superiorum. p. 13.

Claudi⁹ Aquaviva Generalis Præpoſitus Societatis ſcripſit *Induſtrias de curandis Societatis morbis*, qui Liber editus eſt Romæ anno 1616. cuius cap. 15. pag. 79. hæc verba ſunt: *Sæcularitas & Aulicismus, inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, Morbus eſt in Societate & intra & extra periculoſus, & iſtis qui eum patiuntur, & Nobis* (Superioribus) *ferè neſcientib. paulatim ſubintrat, SPECIE quidem* (ſeu fallaci prætextu) *lucrifaciendi Principes, Prelatos, Magnates, conciliandi ad divinum obſequium huiusmodi homines Societati, iuvandi proximos* (id eſt, præ nobis ferimus & ſimulamus, noſtrum Finem eſſe maiorem Dei gloriam & ſalutem ſpiritualem proximorum) *ſed* REVERA *quærimus interdùm nosipſos* (ſive noſtros honores, noſtraſq; utilitates & voluptates habemus propoſitas) *& paulatim ad ſæcu-*

laria.

laria deflectimus, id eſt, ea quæ in mundo ſunt diligimus, adeoq; caritas Patris in nobis non eſt. Idem in ſua *Inſtructione pro ſuperiorib9 Societatis ad augendũ in Societate Spiritũ*, qui liber Romæ eodem anno exiit, cap. 1. pag. 11. ſic teſtatur: *Eſt & alia malorũ radix longè periculoſiſſima, eoq; periculoſior, quo minus vulgo noxia cenſeri ſolet* (id eſt, à pleriſq; in Societate pro peccato non habetur) (rerũ ſcilicet externarũ occupatio) ſive ſæcularitas & πολυπραγμοσύνη) *in quam Superiores* VT PLVRIMVM *ac variis nominibus* SVPRA MODVM *effundi ſolent. Sunt enim qui naturæ quadam propenſione ad diſtractiones* (ſive Ardelioniſmos & ſæcularium negotiorum nihil ad ſe pertinentium curam) *proni non ſolum oblatas occaſiones cupidè arripiunt, ut operam ſuam impendant; ſed eas ipſimet vltrò quærunt & naſci quodammodo ac ſuccreſcere faciunt Alii* (Superiorum) *per* SPECIEM *proximos lucrifaciendi multis ſeſe Viſitationibus implicant, iiſque non modò non neceſſariis, ſed parum etiam utilibus; atq; in his ita verſantur, ut à ſæcularium* (ſive Aulicorum) *moribus parum abſcedant.* id eſt, ut Aulici potius, quam Clerici videantur.

Vnde Ieſuitæ Monopolii utilitatem didicerint. p.13.

Apocalypſeos cap. 13. *Beſtia quadam de terra aſcendit, & habet cornua duo ſimilia Agni, ſed loquitur ſicut Draco.* Hæc Beſtia alteri Beſtiæ nempe Antichriſto, habitantes in terra ſubiicit, ita ut Antichriſtus ſpatio quadraginta

ea duorum menſium conſequatur totius orbis Imperium, *& poteſtatem in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorent eum omnes qui inhabitant terram, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ:* Medium verò, quo utitur, ut tam brevi tempore totius orbis imperium Antichriſto conficiat, eſt Monopolium panis, vini, ſalis, aliarumq; rerum vitæ humanæ neceſſariarum. *Facit* enim *omnes puſillos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & ſervos habere characterem Beſtiæ* ſive Antichriſti *in dextra manu ſua aut in frontibus ſuis: & ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem. Hic ſapientia eſt.* Atque hanc ſapientiam à Beſtia illa Jeſuitæ, carnalia, vel beſtialia ſapientes, didicerunt, & volunt omnes Principes & ſubditos, mares & fœminas, adultos & pueros, habere Characterem ſui Præpoſiti Generalis *Mutii Vitellii*, aut mutientis vel mugientis Vituli, & adorare Apim iſtum Aegyptium, in quem convenit illud Oſe. 13. *Factura artificum totum eſt. His ipſi dicunt, Immolate homines, Vitulum adorantes.* Character verò eſt VOX NOSTRIS. Si quis enim Vitulum ipſorum adorare, aut ei ſe ſuoſq; liberos immolare eiuſque nutui ac ditioni ſubiicire recuſet, de hoc dicere inter ſe ſolent, NON EST EX NOSTRIS. Et tales ſi excludi poſſint à commerico rerum tam pretioſarum & neceſſarium, haud ſtultè ſibi perſuadent, mox

mox futurum ut omnes Vitulum ipſorum adorabundi venerentur. Verum qui habitat in cœlis, irridebit eos, ut mox, in ipſis quoque impleta appareat fides oraculi illius Oſe. 8. *Proiectus eſt Vitulus tuus Samaria: in aranearum telas erit, quia artifex fecit eum, & non eſt Deus.*

Monopolii Ieſuitici Specimen.

Oeniponte non ita pridem Sereniſſimæ memoriæ Principi Leopoldo Archiduci, Jeſuitæ perſuaſerant, ex uſu tum ipſius, tum reip: futurum, ſi Conſiliarii, Cubicularii, omneſque omnino Aulæ eius familiares ſolis Jeſuitis utantur Confeſſariis, nec ad Franciſcanos aut aliarum familiarum Religioſos, veniæ & abſolutionis à peccatis petendæ cauſa accedendi ius habeant. Et Archidux iſto Phariſaico hominum generi, à quo inde à puero altus & educatus, & aſſiduis eorum blanditiis & obſequiis homine Chriſtiano, nedum Sacerdote, eodemq; Religioſo parum dignis delinitus fuerat, plus æquo obnoxius, ſuis iam edixerat, ut Confeſſionis peccatorum faciendi cauſa ad neminem niſi ad Reverendos Patres Societatis Jeſu ſe conferre animum inducerent. Sed cum plerique Equeſtris loci homines (quorum unus iſta mihi retulit) id ferrent indigniſſimè ac ſine circumitione teſtarentur, ſe potius Aulam iſtam miſſam facturos, quam

quam ut Monopolium iſtud Jeſuiticum ratum haberent, ac tale ſervitutis iugum nec Perſæ homini ferendum animabus ſuis imponi paterentur, Archidux tandem veritus ne res Romam renunciata magnæ ſibi foret invidiæ, quaſi qui famam & exiſtimationem aliorum Religioſorum ludum omnibus iocumque facere nihil penſi haberet, ſatis habuit magnopere ſuis confirmare, obſequii minimè vulgaris loco ſibi futurum, ſi ſua ſponte Jeſuitas potius, quam alios, Conſcientiarum ſuarum arbitros ac moderatores ſibi optarent. Quis autem, qui non ſit omninò hebes & obtuſus non intelligat, abeſſe non poſſe, quin tali modo Confeſſionis Sacramentum profanetur, & ambitionis, avaritiæ & & Hypocriſis inſtrumentum fiat? Jeſuitas tamen tanta nec Dei, nec aliorum Religioſorum iniuria quicquam movet, modo ipſi in Principum Aulis regnum obtineant. Qui quid eiuſmodi cæptis ſtruant, quemque ſi fortuna ſequatur artificii ſui eventum cupiant, nemini quam Summo Pontifici manifeſtius apparere arbitror, quem etiam intolerabili Pygotribarum iſtorum ambitioni fibulam maturè impoſiturum confido.

Teſtimonia de Societatis degeneratione & depravatione. pag. 15.

Alfonſus Rodericius, veteranus Jeſuita & per-

perquadraginta annos Novitiorum Magiſter, in parte 2. Exercitii perfectionis, tractatu 3. cap. 4. de Humilitate, qui Liber Dillingæ fuit editus, ita teſtatur: *Neſcio ego an iſta, cordis flamma, quæ fuit in S. Ignatio, primo Ordinis noſtri parente, adhuc in filiorum pectoribus exæſtuet, an verò contra potius facti* DEGENERES, *caput inſtitutionis noſtræ ſit humana* ſeu Carnis *prudentia, literæ, doctrinæ oſtentatio, uno verbo robur Brachii noſtri, intelligentiaque naturalis & eloquentia: quibus dum nos vaniſſimè jactamus, videt ex alto Deus, facitque ut* NIHIL *proficiamus, nihilque bonæ frugis producamus. Qui enim ſic ſuperbit, vanèque effertur, ille demum* INFAMIS *latro ſeu fur eſt, divinique honoris ac gloriæ turpiſſimus Depoculator. Ex qua inſolentiſſima arrogatione illud ſequitur, ut* NIHIL *penitus ſolidi fructus referamus, quod utinam interdum non plus æquo experiremur!* Iam Lector cogitet, quales ſint erga proximos, qui tales ſe erga Deum exhibent.

Iohannes Mariana, qui ſub S. Ignatio in Societate vixit, & circiter octo abhinc annis diem ſuum piè obiit, cuius Baronius Tomo 8. anno 688. ita meminit: *Veritatis amator & pietatis optimus cultor Iohannes Mariana dignus poſſeſſor Societatis Ieſu.* Huius Liber exſtat *de Morbis Societatis, eiuſque cauſis & remediis,* quem Pontificis Palatinus Theologus ſeu Magiſter Sacri Palatii Nicolaus Ricardius ex

Hiſpa-

Hiſpania ſecum detulit. Eius cap. 3. hæc leguntur: *Ignatius & priores Societatis Præpoſiti Generales non eodem, quo Claudius Aquaviva, ſtylo uſi, nec eandem gubernandi rationem ſecuti ſunt, ut mirum non ſit hodierno tractandi modo Sociorum animos offendi.* Et cap. 19. *Leges noſtræ, maximè autem Regulæ, mutatæ ſæpius fuerunt. Corpus Societatis ex toto contrarium eſt ei, quod fundator noſter Ignatius imaginatus ſibi fuerat ac formaverat, Homines ſcandalizantur, murmurant, noſque inſectantur* NON ALIAM *ob cauſam* (NB.) *quam quod nos adeo ſingulares* & INTERRESSATOS, ſeu propriæ utilitati deditos *vident.* Et in Epilogo: *Nemo, quantum libet cæcus ſit, negare poteſt, Societatem à recta ratione aberrare, ac propterea propediem funditus interituram eſſe, niſi Deus opem ferat, hoc eſt, mentem Ieſuitis inſpiret, ut recte monentibus parere, ipſique ſe* REFORMARE *velint.*

P. JO-

P. JOHANNIS MARIANÆ Societatis Jeſu Theologi.

LIBRI DE MORBIS SOCIETATIS &c. CAPVT. VI.

De Studiis. Quo prætextu Ieſuitæ literas humaniores docendas ſuſceperint.

IN ſtudiis Societatis defectus aliquos notabiles conſidero. Dicam priore loco de Humanitatis, poſtea de Artium & Theologiæ ſtudiis. Homines noſtri ſuſceperunt in ſe onus docendi literas humanitatis, in Principalioribus Hiſpaniæ locis. Conatus haud dubiè conſideratione dignus quoniam ea ratione adoleſcentes ad pietatem omnemq; virtutem informantur, neà primis annis vitia eos peſſumdent.

Cuiusmodi doctores humanitatis ſint Ieſuitæ.

(Sed magnis res difficultatibus eſt implicata, cum rationis noſtræ homines non ferè ad hoc ſtudiorum genus inclinent, & quoniam plerumq; bonorum magiſtrorum inopiâ laboramus ſic fere fit, ut illi biennium aut triennium literas doceant, qui nec ipſi eas didicêrunt, nec diſcere etiam volunt(qui ſtultorum mos eſt) adeoq; aud tores ab iis barbariſmos & improprietàtes diſcunt, quib.

nun-

nunquam poſtea liberari poſſunt, ſicut etiam alia iis inhærent, quæ in tenera illa ætate iis imprimuntur;

Ieſuitarum diſciplina eſt principaliſſima cauſa hodiernæ barbariei.

Nullum eſt dubium, quin hodie in Hiſpania minor Latinæ Linguæ ſit notitia, quàm quinquaginta abhinc annis fuit. Credo ego, imo verò pro certiſſimo & explorato habeo, unam principaliſſimam Damni iſtius cauſam eſſe, quoniam Societas noſtra ſtudiorum profeſſionem in ſe ſuſcepit.

Itaq; meritò ſunt Scholis privandi.

Quod ſi homines benè intelligerent magnitudinem damni ex iſta docendi via reſultantis, non habeo dubium, quin per publicum decretum Scholas adimerent, quemadmodum iam tractari cœpit.

Prætextus Ieſuitarum frivolus & ridiculus.

Videamus quam probabile foret regimen hoc, ſi in aliis artificiis permitteretur, ut ſarcinatores ea docerent ſub hoc colore & prætextu, quoniam illi ſint viri boni, à quib. novitii ſeu Tirones virtutem diſcere queant.

Quid eſt, quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Eccl. 1. Ante exortos Ieſuitas erant conſummati literarum Magiſtri.

Neq; tamen Societas prima eſt omnium

Religio-

Religioſarum familiarum, quæ hanc in ſe Provinciam ſuſceperit. Nam Benedictino-rum Monaſteria Scholas publicas fuiſſe ex Trithemii Chronicis conſtat. Vereor ne idem ipſum, quod illis noſtris etiam Scholis uſu veniat, ut nimirum nobis adimantur aut à nobis ultro relinquantur. Onus ſine dubio eſt intolerabile, cum tantus ſit Collegiorum numerus, quorum cathedræ omnes idoneis Magiſtris occupari non poſſunt. Antiquitus hominum ſecularium, qui Grammaticam profiterentur, quod omnem vitam in uno eodem ſtudio conſumerent, alii in Præceptis excellebant, alii in poetica, alii in doctrinę varietate. Iam in noſtra Societate vix invenitur, qui quicquam iſtorum bene ſciat. Sæculares verò cum omnia loca ſibi à noſtris prærepta videant, Literas iſtas earumq; profeſſionem negligunt. Ex quo fit, ut ſi qua eveniat neceſſitas, non ſit in Hiſpania, aut difficulter certè inveniatur, qui quatuor Latina verba iungere noverit.

Falſum mali tanti remedium. Verum remedium.

Aliquot initæ ſunt rationes in Societate, ut damnis eiuſmodi obviaretur. Earum una eſt ſeminariorum Humanitatis inſtitutio. Haud tamen ſcio ſatisne magna ſit ſeminariorum illorum utilitas, quoniam ſtudioſi juvenes ſegniter in iſto ſtudiorum genere occu-

pan-

pantur animis in pulpito ſeu concionandi provincia, aut in Scholaſtica Theologia de- defixis. Remedium malo foret, ſi & pauciora ſint Collegia, ubi Humanitasis ſtudia colan- tur & Profeſſores eorum plus honorentur Nunc n. cum videant quo quiſq; ſit literarum humaniorum imperitior, & pluris illum fie- ri & ad officia promoveri, aut omnes, aut pleriſq; omnes, abeunt ab iſta via, & viam ignorantiæ maioris fieri ſolitam inſi- ſtunt. Maximę ſanè difficultatis negocium eſt, ita literas iſtas moderari, ut & ſufficiant, nec aliis diſciplinis; quæ Societas profitetur, im- pedimentum afferant.

Pauci inter Ieſuitas boni Philoſophi ac Theologi.

Altiora ſtudia maiore cura tractantur, quamvis eorum, qui præſtantes in iis eva- dunt, exiguus ſit numerus, ſi reſpiciamus ad tam excellentia ingenia, quæ in Societatem recipiuntur, (& ad ocium, quo toto tempo- re ſtudiorum gaudent.) Eius rei cauſa eſſe de- bet, partim quod locus deſit, in quo exerce- ant, quod didicerunt, partim quod funda- mentum, in humanioribus literis non bene jactum habeant. Scholaſtica ſtudia ſicca ſunt neq; toti vitæ conveniunt. Et quoniam iis deditineq; S. Patres neque linguas intelli- gunt, ut S. literis poſſint incumbere, eo fit ut aut concionibus ſacris, aut ocio ſe dedant.

Ieſuitæ in docenda Philoſophia ac Theologia parum concordes.

Aliud in iiſdem ſtudiis damnum eſt minima concordia; ſua quiſque via ingredi poſtulat neque eis quin pervincant obſiſti poteſt. Qua in re duo ſunt inconvenientia, quæ quotidie experimur. Vnum; quod in punctis ſive capitibus doctrinæ nullam faciunt progreſſionem neq; auctiores fieri poſſunt. Nam quod alius affirmat, alius negat: quod huic perſpicuè verum; idem illi falſum videtur. Videtur, ut hominum noſtrorum doctrina nihil à Penelopes tela abhorreat, ut quod interdiu texunt, noctu retexant.

Gaudent novitatib.

Alterum inconveniens, quod paucis annis omnia mutantur, non opiniones tantum, ſed etiam loquendi modus, uſque eo ut exacto ſexennio alii alios non intelligant, nec illi modo, qui reliquerunt Scholas & longo intervallo ad eas revertuntur, ſed etiam qui continenter in Scholis ſtudiiſque manent. Hi enim non intelligunt eos, qui ex alio aliquo veniunt Collegio, ubi ſtuduerunt aut novum Philoſophiæ vel Theologiæ curſum prælegerunt.

Verum eius mali remedium.

Quidam ad iſta aliaq; inconvenientia evitanda unicum remedium fore putant, ſi tam Theolo-

Theologiam quam Philoſophiam docentib. unus certus præſcribatur Autor , quem diſcipulis explanent, ut ab eo diſcedere non audeant, ſaltem tantiſper dum in docendo plures annos conſumpſerint. Eius ſententiæ rationes hic exponam , cum in hoc capite ut maximum ſit momentum ad ſtudia noſtra pro eo ac par eſt dirigenda.

Ratio prima.

Primum omnium noſtri in una doctrina iiſdemq; opinionib. magis eſſent uniti & concordes quæ res potentiſſima eſt ad factiones & diſſenſiones , quæ jam incipiunt, excludendas: neq; verò ſatis eſt præcipere, ut S. Thomam in Theologia ſectentur (quemadmodum in conſtitutione Societatis magiſque ſerio in quintæ Congregationis decreto, in libro denique Generalis Aquavivæ de ratione ſtudiorum præcipitur) quoniam unuſquiſque S. Thomam velit, nolit, in opinionem ſuam pertrahit, qua in re magnam lectionum ſuarum partem conſumunt, quod jam aliud novi damni genus eſt : ut hic præterea multas quæſtiones, quæ hodie agitantur S. Thomæ temporibus ignoratæ, quocirca in mali huius medicina aliquantò amplius progredi convenit ac tentare , ſi magis uniri queant præſcribendo aliquo S. Thomæ interprete , à cuius ſententia ordi-

naiiè diſcedere eis non liceat, ſaltem propter privatum ſuum judicium.

Ratio II. Deinde via iſta ſecurius incederent, neq; in novitates interdum præjudiciales ac periculoſas prolaberentur. Cum n. luxurient ingenia atq; inſigniri geſtiant, ſemper aliquas ſaltem novas inquirent ſemitas, unde ſe præcipitent, niſi eis libertas iſta ſuas ac novas opiniones docendi penitus adimatur Fidem huic rei fecerint turbę & claſſica quæ nos quotidie inquietant, & boli illi, quos deglutire & concoquere cogimur.

Ratio III. Adhæc ſtudioſi juvenes præter quod iſta via doctrinam ſecutam & à multis tritam ſequentur, plus etiam & maiori cum fundamento ſcient. Nam plerumq; cuius typis impreſſi ſunt libri Theologici, doctior eſt eo, qui iam primum ad docendam Theologiam accedit, & exactius res conſiderat, & alias cum aliis connectit, in quo quidem ſunt omnia ad Theologiam Scholaſticam & Philoſophicam pertinentia.

Ratio IV. Præterea iſto modo opiniones, quæ magis probabiles & ſocietati congruentiores viſæ fuerint, multa cum ſuavitate ac ſine violentia illa introducentur, quam in promulgatione & exſecutione libri illius de ratione ſtudiorum in principio experti ſumus & quotidie doctores erunt auctiores. Nam alius aliud argumentum tuendis, illis opini-

onib.

onib. excogitabit: quod contra nunc uſu venit, ut quod alius ædificat: alius diruat, neque ulla opinio vires acquirat, nihil enim aliud noſtris eſt operis, quàm texere & retexere. Multas iam in Scholis noſtris opiniones ab hac cauſa invaluiſſe video, quæ quondam pro peregrinis inſolentibus, ac falſis habebantur.

Ratio V. Hoc amplius iſta ratione duplo plus, quam nunc, doceretur, & partes ſummę Theologiæ S. Thomæ intra quadriennium, velut deſideratur, abſolvi, & numerus Quęſtionum, quas liber de ratione ſtudiorum ſingulis doctorib. pręſcribit, percurri poſſet, quod propter eam, qua hodie utimur, rationem omnino impoſſibile videtur.

Ratio VI. Accedit, quod hoc modo dictationib. ſuperſedebitur adeoq;. valetudini auditorum conſuletur, quorum multi eam affligunt atq; perdunt ſcribendo, quę dictantur: lucrifient etiam ſumptus, qui fiunt in librarios ſive exſcriptores inq; vecturam, cum locum mutantes ſcripta ſua ſecum portant. Nec n. iam eſt adoleſcentulus, qui non habeat tantum dictationum, quod capſam impleat: per quam quoq; viam pedetentim Proprietarii eradimus. Tempus etiam, quod iam excipiendo dictata ſcribendoq; conſumitur, legendis bonis auctorib. impertiri auditores poſſent, qua quidem ratione multò do-

ctiores fierent, quam per Magiſtrorum di-ctata.

Ratio VII. Præterea ipſorum Magiſtro-rum minueretur labor & augeretur eruditio. quod n. colligendis & ſcribendis ſuis lectio-nib. tempus impendunt, in maiorib. ſtudiis, puta S. Scripturæ aut eruditionis Eccleſia-ſticæ, inque linguis conſumere, ſubinde cer-te aliquid, operæ ſuæ ad ea conferre poſſent. cuius rei fructus eſſet, ut exuerent Barbari-em illam, quæ hodie in Hiſpaniis viget.

Ratio VIII. Poſt autem alii alios intel-ligent tametſi in diverſis collegiis aut pro-vinciis ſtuduerint, & illi, qui hodie ſtudent cum iis, qui viginti aut triginta annis prius ſtuduerunt, easdem opiniones iiſdemque terminis ſeu loquendi generibus tractatas vi-debunt, nec vel novę quotidie quæſtiones, vel in veteribus quæſtionibus nova & peregri-na loquendi generà excogitabuntur, velut nunc fit, quoniam ingenia nimia gaudent li-bertate, nec ad certam docendi formulam alligantur.

Ratio IX. Huc adde, quod eodem modo cæterę religiones conſecutæ ſunt, ut ſuis doctoribus inter ipſos conveniret, Domini-canis nempe in S. Thomæ, Franciſcanis in Scoti, Carmelitanis in Bachonis do-

ctrina.

ctrina. In principio nimirum eaſdem; quas hodie Jeſuitæ, difficultates experti ſunt, nec meliorem invenerunt viam, quam ut certum ſuis autorem præſcriberent, à quo diſſentire non poſſent. Quod quidem inſtitutum in principio rigidius videntur cuſtodiiſſe, quam hodie, cum eis permittunt, ut ſuas lectiones dictent, modo ne ab auctore, quem amplexi ſunt, diſcedant.

Ratio X. Poſtremo in univerſitatibus Cathedras S. Thomæ, Scoti & Durandi inſtitutas videmus, eo conſilio, ut apparet, ut Doctores iſtis tantum auctoribus uterentur & excluderentur incommoda, quæ hodie experimur, quæque illos quoque univerſitatum conditores expertos fuiſſe conſentaneum eſt. In Academia Salmanticenſi lex vetus eſt, ne Magiſtri quicquam dictent, velut Antonius Nebriſſenſis in quadam Repetitionum ſuarum affirmat. Confuſio, quam hodie ex ſcriptis dictationibus naſci videmus, moviſſe eos videtur ad ſanciendam illam legem, ut damno illi obviarent. Rex denique Catholicus Philippus II. re multis conſultationibus agitata decrevit, ut Magiſtri ad S. Laurentij, Scurialij libros prælegerent, dictando autem ſuperſederent, idque hodie adhuc obſervari audio.

DE INGENTIBVS DAMNIS DICTATIONVM, quibus Ieſuitæ in Scholis diſcipulos ſuos obruunt.

Antonius Poſſevinus Ie Ieſuita Bibliotheca ſelecta lib. 1. *cap.* 7.

HÆc qui omiſere, dictandiſq; prælectionibus adoleſcentum ingenia potius preſſerunt, quam ut per veterum ſemitam deducerent, culturam eam deſeruere, quam iniuimus ſupra. Fit autem hinc, ut neque viva vox, quæ neſcio quid latentis habet energiæ, in diſcipulorum animos influat. Sæpe enim ex alienis ſcriptis eadem promunt, quæ volunt haberi pro ſuis. (*Iſta eſt inanis gloria Magiſtrorum, Corniculæ Aeſopicæ inſtar de alienis plumis ſibi placentium.*) Quare potius peregrina & mortua, vel Echo neſcio quæ, obtundit aures, non mentem inſtruit. Ac qui dictata excipiunt, ſi nimiæ ſcriptioni ſeſe immerſerint (cum capita rerum notâſſe ſatis eſſet) haud minima damna patiuntur. Primum quod ſcriptis fidunt plus, quàm ut res animo compræhendant: ſæpeque id verum fit, quod vulgato & ſimplici, ſed tamen vero carmine dicitur: *Quod ſi cartha cadat, ſecum ſapientià vadat.* Præterea & ipſe dicendi ſtylus, ac benè literas formandi ratio abijcitur. Quam enim ſcribendo celeritatem adhibent adoleſcentes, ea fit, ut nec manus rectè unquam deinceps

ceps aptetur, nec in auctoribus ſtylus ipſe ac dictio animadvertatur; qui cùm eleganter ſcripſerint, ſæpè barbarè explicantur à Præceptoribus ac mixtè (*etſi Præceptores iſti præ ſe Monachos velut barbaros contemnere ſolent:*) quod ex alienis laboribus ſua, ut dixi, commiſceant; multi verò pariant, quæ non parturierunt (*& in aliorum ingeniorum fœtibus turpe plagium committant.*) Valetudinis autem ac vitæ non mediocre periculum incurritur (*unde apparet, quàm tuto id genus Scholæ frequententur*) (atramentumq; plerumq; mutatur in ſanguinem, cùm è pectore evomitur. Ubi verò Capitis & Ventriculi vires ſunt fractæ (*tot annorum ſcriptione, quæ dictatis Magiſtrorum excipiendis occupatur*) quod debuerat eſſe ſtudiorum curriculum, id vitæ claudicatio fit, (*qua nulla maior eſſe poteſt*) aliorum etiam moleſtia, pecuniæq; amiſſio ac damnum proximi, cui opera præſtari nequeat. (*Atq; hæc Diſcipulis damna importat iſta in Scholis dictandi conſuetudo*) Iam ipſis Magiſtris, qui prælegunt, occaſio demitur, qua ſeriò materias excutiant; ut qualis fuerit fons, talis inde neceſſariò aqua, turbida nempe ac ſordida ſcaturiat (*Hæc ſcilicet eſt febriculoſa illa eruditio, qua Dictatores iſti Auditores ſuos excolunt.*) Quin & antiquiores ac perſpicaciores Interpretes, contextusq; Auctoris (*Ariſtotelis in Philoſophia, & D. Thomæ in Theologia textus*) omittuntur:

 ac

ac denique non pauci Scholas derelinquentes, ſat habent ſi Amanuenſem, qui dictata deſcribat, eò mittant, in quæ vix vnquam poſtea inſpiciunt: aut ſi oculum admoverint, fructu certè fruſtrantur repetionum, ac diſputandi, & conferendi: quæ res cum utiliſſima ſit, intellectum perficit. Sic ergò in horrei ſuperficie jacet ſemen, quod cum neq; ſulcis commiſſum ſit, nec contectum, et quam inde ſperaveris meſſem? Atqui cùm vix percipi poſſit, quod tàm celeriter aut decurtatis (*ſeu breviatis*) dictionibus ſcribitur, ipſa ſcriptio, vel potiùs corruptio, exequiæ ſunt laborum: præterquam quod qui labor in apparatus & reliqua hujuſmodi (*à Magiſtris hinc inde, quæ dictare volunt, exſcribentibus*) impenditur, is non ſemel irritus eſt: quod eo in genere plerique libri jam evulgati ſint, & quidem MVLTIS nominibus PERFECTIORES, quàm noſtri (*à novitiis ſcilicet Magiſtris undiq; comportati.*) Quamobrem ſi antequam ſcriptione conficeremur (*jacturamque valetudinis faceremus*) à peritis notitiam eorum (*librorum à claris viris iisdem de rebus editorum*) hauriremus, magnum eſſet operæ pretium atque compendium (*id eſt, multò amplius minore temporis, pecuniæ ac laboris impenſa addiſceremus.*) Quin etiam Religioſæ paupertati interdum magnoperè incommodavit id pecuniæ reſervatum, quod amanuenſibus

ſibus

ſibus attribuitur, quod ſanè in bonos auctores coëmendos utilius atq; communius transferri poſſet. Ducentis autem & quinquaginta propemodum abhinc annis iu Academia Pariſienſi lex de ratione explicandæ Philoſophiæ lata eſt, qua præciſè cavebatur, ne Doctores, quos vocabat *Nominatores ad pennam*, ſubducendis ſingulis propoſitorum verbis, nominando & dictando auditorum manus pot ïis exercerent, quàm continenti explicatione mentem erudirent. Noſtri certè (*id eſt, Societatis præſtantiſſimi Magiſtri*) quorum magna pars hoc in negotio maximè verſatur, uſu & damno edocti, quod è nimia illa (*dictatorum*) deſcriptione prodijt, diu eſt, cum tanti incommodi & laboris TOLLENDI (ne dicam moderandi) NECESSITATEM intellexerunt. (*id eſt, ipſa experientia & maxima diſcipulorum damna eos docuerunt, omninò neceſſarium eſſe morem iſtum in ſcholis dictandi & ſcribendi, non moderari, ſed penitus tollere*) Ac propterea quos in Luſitaniæ Academiis habemus Patres (*ut Philoſophi Conimbricenſis*) hi jam naturalis Philoſophiæ (*Phyſicæ*) partem è prelis emiſere: qua tùm ſcriptio illa ſubtrahatur, tùm relinquatur occaſio, unde acuantur tamen ingenia, ac multa in aream diſputationum conferri queant.

MYSTERIVM INIQVITATIS.

Sive arcana cauſa. cur Ieſuitæ morem præcepta dictandi tam pertinaciter in Scholis retineant.

Cùm præſtantiſſimi Societatis Magiſtri, ipſo uſu & maximo Magiſtrorum ac Diſcipulorum damno edocti neceſſarium eſſe iudicarint ut mos iſte in Scholis dictandi penitus tollatur, velut Poſſevinum modo confitentem audivimus, cuius librum Patriarcha Jeſuitarum à *præcipuis Societatis Theologis, Philoſophis & aliis peritis examinatum*, *& velut ad gloriam Dei perutilem* approbatum Romæ anno 1593, edendum curavit: non iniuria quis mirabitur, cur tàm damnatum morem Societas non miſſum fecerit, ſed hodiè quoq; mordicùs retineat. neq; tam gravi ac manifeſto juventutis damno quicquam moveatur. Vera porrò eius rei cauſa eſt Ambitio Patris Præpoſiti Generalis Societatis, qua impulſus univerſalem totius Orbis Monarchiam, & abſolutum non modò in ſuæ Societatis homines, ſed etiam per illos in regna, provincias, civitates, magnatum prætoria, & in civium domos ac familias imperium animo affectat: qua de re nemini dubium eſſe poteſt, qui legerit, quæ de Monarchia iſta, ejuſq; inſtrumentis Vi ac Dolo, paſſim in libro ſuo Mariana dolenter exponit. Sed & res ipſa ante omnium oculos poſita idipſum vociferatur.

tur, In ſecunda quippe congregatione generali Societatis, ambitioni illi Patris Generalis fibula hoc Canone ſeu decreto fuerat impoſita: *Adhibeatur in poſterum moderatio in multitudine Collegiorum admittenda, rogatq; Patrem Præpoſitum Generalem Congregatio, & ſeriò mandat, ut potius applicet ad roboranda & ad perfectionem adducenda Collegia iam admiſſa, quam ad nova admittenda.* Verum Aquavivę tanquam ſurdo narrata fuit fabula, eiuſque ſucceſſor & imitator Mutius Vitellius inſuperhabito & contemto iſto Congregationis mandato, uno ſolo decennio ſeptuaginta duo nova Collegia prioribus adiecit, quemadmodum Dilligenſes Jeſuitæ in *ſuſceptæ defenſionis* libro pag. 200. confitentur. Regia ſcilicet dignitas latiſſimique Imperij maieſtas longè plus in animis eorum potuit, quam digna Societatis Jeſu profeſſore modeſtia, auribus eorum ſcelerata illa Eteoclis ſententia aſſidue perſonantibus: *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt: cæteris rebus pietatem colas*, & mandato Congregationis promte pareas: cum præſertim Salomonis quoq; cantilenam audiant ac probent Proverb. 14. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Ne quid ergò ſit, cur cuiquam non modo aliorum Religioſorum Ordinum moderatori, ſed etiam Regi ac Principi, de dignitate concedi debeat, rebus

 reli-

relictis in Collegiorum Societatis multiplicationem incumbitur, ad eumque ſcopum & finem omnium Jeſuitarum, qui Præpoſito ſuo placere; & inſectationes atque acerba Primorum, imperij eius adminiſtrorum, odia effugere cupiunt, actiones & ſcriptiones dirigantur. Hæc illis norma, hæc regula ac menſura eſt. Nec verò mos ille dictandi tam palam noxius alio ſe nomine Jeſuitis probat, quam quod Collegiorum multiplicationi minimè diſconducit. Ad eam quippe rem magnus Magiſtrorum numerus requiritur, ut ſint ſcilicet in Societate, quibus velut in novas colonias miſſis novæ Cathedræ occupari poſſint. Iam verò fieri non poteſt, ut Magiſtri tales pariter multi & docti ſint. Tres enim anni in Philoſophię, quatuor verò in Theologiæ ſtudio exacti conferent quidem eorum, quæ à Magiſtris ſuis centies audiere memoriam, ſed non etiam longè plurium, ſcientiam, quæ veterum Philoſophorum ac Theologorum, qua Græcorum, qua Latinorum libri. tum præclara recentiorum inventa lectoribus ſuppeditant: quorum omnium rudes ignari ſunt trimuli illi Philoſophi & quadrimuli Theologaſtri, ut cum quid eis ſive in editiore loco ſive de plano in ſermonibus aut circulis contra illa affertur, quibus ſubſellia Scholarũ pſtrepũt, quo miſeri ſe vertãt neſciãt turpiterque obmuteſcant, quod ipſi Benedi-

ned cto Pererio, tam clari nominis inter Jeſuitas Philoſopho ac Theologo, cum Johanne Baptiſta Raimundo, Teleſianæ diſciplinæ alumno, Romæ frequentibus auditoribus congreſſo uſuveniri memini. Quoniam igitur illud Jeſuiticæ diſciplinæ ſeptennium non hoc præſtat, ut plus ſapiant diſcipuli, quam quantum à novitijs nuperæque fœturæ Magiſtris audire potuerunt, rationem inire viſum eſt, qua Magiſtrorum conſuleretur exiſtimationi & contemtus ab eis prohiberetur. Si enim contemni eos & ludibrio eſſe ac paſtoritia fiſtula ex ſibilari contingat, jam omnis Patri Generali ſpes decollavit, futurum ut in omnib. paulo celerioribus urbibus nova Societati Collegia condantur. Permagnum vero idque ſatis certum contemtus & ludibrij periculum Septuennib. id genus Magiſtris oſtenditur, ſi diſcipuli alios literis & diſciplinis excellentes viros habeant cognitos, nec libros à præſtantib. Philoſophis ac Theologis ſcriptos manib. verſandi tempus eos deficiat. Magno proinde ſtudio in Societate id agitur, nec cuius clari viri nomen, qui Jeſuita non ſit, eorum diſcipulis notum eſſe poſſit, ut nec ipſi in quenquam alium, quam in Societatis Magiſtros, reſpiciant, & civitates ac Principes perſuaſum habeant, cum Jeſuitis natas & interituras literas, nec cuiquam contingere aut fas eſſe, ut ad nullum ſapientiæ aut eruditionis gradum

aliis

aliis Magiſtris perveniat. Simul autem omne diſcipulis tempus præceptis dictandis eximitur, ut ne quas horas habeant ſubſecivas, quas cognoſcendis aliorum libris impendãt, eoque pacto aliquid addiſcant, quod ipſos eorum Magiſtros effugiat & à diſcipulis objectum elingues reddat, quod quidem ſi fieret, abeſſe non poſſet, quin Magiſtri ludibrium omnibus deberent, neque Principes & civitates, cur Jeſuitas advocent, novaque Societati Collegia moliantur, quicquam cauſæ habere viderentur. Etſi ergo diſcipulos in magna plurimarum rerum ignoratione permanere neceſſe eſt, ſi ſcribendis & relegendis Magiſtrorum dictatis omne tempus conterere cogantur, tanti tamen eſt Magiſtrorum honori & exiſtimationi conſuli, ne ſcilicet deſpicatui & ludibrio fiant opportuni, neu propterea Collegiorum novorum acceſſio & Monarchiæ Jeſuiticæ propagatio ac dilatatio circumſcribatur.

DE VTILITATE ET NECESSITATE NOVI Ordinis Societatis Ieſu.

Iudicium graviſſimi Viri Melchioris Cani, Epiſcopi Canarienſis.

IMbecillum eorum argumentum eſt, qui ex huiuſmodi Pontificiis privilegiis, quæ his facile temporibus conceduntur, vel potius extorquentur, Novas Religiones (*id eſt*, *novos*

novos Religioſorum ordines) non aliter ac de cœlo lapſas, excipiendas eſſe confirmant. Nec eius generis Privilegia certa ſunt Sedis Apoſtolicæ judicia, quibus ſcilicet omnes fideles ad aſſentiendum adſtringantur. Satis fuerit, ſi eam habuerint auctoritatem, quam Epiſtolæ Decretales ; quarum nonnullas conſtat à poſterioribus Pontificibus|meliore conſilio refutatas : quoniam non ex firmo decreto, ſed ex opinione Pontificum prodierunt. Et quidem ante D. Thomæ tempora adeò reſtrictè & gravate novi Ordines admittebantur, ut ex tàm gravi auguſtoque judicio probabile argumentum prudentis conſilii ſumeretur. Noſtro vero hoc ſælo tàm multæ ſunt Religiones à Pontificibus confirmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Eccleſiæ vel utiles, vel neceſſarias, hic imprudentiæ, ne dicam ſtultitiæ nomine, iure optimo ſummiſque rationibus arguatur. *Ita Canus libro quinto locorum Theologicorum cap. 5.*

SEDIS APOSTOLICÆ CERTVM Iudicium de Vtilitate Societatis Ieſu eiusque Diſciplina Scholaſtica.

NVper admodum Romæ Pontifex & Cardinales, Antiſtites ac Theologi re in Conventu ſeu Congregatione propagandæ fidei, diu multuque conſiderata, ſic tandem decre-

decreverunt: Societatem Jeſu à conatu ſuo Academiam Pragenſem, omnesq; univerſi regni Bohemici Scholas, Magiſtros, Pædagogos, diſcipulos, bibliopolas & typographos ſub jus & ditionem ſuam redigendi, & Inquiſitionem Hæreticæ pravitatis cum Cenſura librorum imprimendorum ſibi vindicandi debere deſiſtere, nec Chriſtianiſſimi & optimi Cæſaris favore ac ſuffragatione eam ad rem Pontifici extorquendam velut per ſeptem annos iam tentarunt, porrò quoque abuti. Diſciplinam enim Societatis ſcholaſticam ac juventutis docendæ rationem menti & voluntati Congregationis illius nequaquam reſpõdere, per eam q; Fidei Catholicæ propagationem potiùs præpediri ac ſufflaminari, quàm adjuvari ac promoveri.

Hoc horribili nuncio ex Regia Cæſaris nuper allato Ieſuitæ intelligunt, Societati ſuæ Medico opus eſſe, aut Tibicine. Medico, qui malè habenti medicinam faciat. Tibicine, qui ſanari renuenti Leſſum faciat & ſalutis canat næniam.

Prophetia Caiphæ.

Sive Omen Ieſuitarum de Societatis interitu,

DIlligenſes Ieſuitæ in Placida Diſceptatione pagina ſive Columna 41. totidem verbis Societati ſuæ nuper ominati ſunt:

Hoc

Hoc ipſum conſidero, Ordines Religioſos, qui in quibuſdam non parvi momenti rebus inſtituti ſui rationem à Fundatoribus propoſitam, Eccleſiæ auctoritate approbatam reliquerunt, non multo tempore à ſcandalis immunes fuiſſe, exiguo cum fructu in Eccleſia laboraſſe. Veſtis interpolata multum differt à nova, quamvis niteat. Spiritus, quo primus Fundator Ordinem inſtitituit, à Deo venit. Quod poſteri remiſerunt, diſpenſarunt, privilegiis leniverunt, conſuetudine induxerunt, animo ſuo indulſerunt, id aliam cauſam habuit, Ordinis nempe integri horrorem, & quandam mentis infirmitatem. Ordo igitur privilegiis contra rigorem ſuum munitus, lubrico ſtat fundamento, & lapſuro ſimilis in in proclivi: Quamdiu Societas Jeſu in prima regula fundatoris Ignatii perſeveraverit, fructus optatos feret. Si inde dimoveri ſe patiatur, motu magno quatietur: nec Pontifex, nec Caſar, nec amici nec opes ſervare poterunt, DEO non probante.

* * *

JOHAN-

JOHANNIS MARIANÆ

Summi Societatis Ieſu Theologi ac Philoſophi

JUDICIUM

De Genere & utilitate Scholarum Ieſuitarum.

NOſtri Ordinis homines ſub prætextu juventutis bonis moribus imbuendæ humaniores literas docendi provinciam ceperunt: ſed plerumq; biennium aut triennium literas illi profitentur, qui eas neq; didicerunt unquam, neque diſcere volunt, adeoq; diſcipulis imprimunt ſolœciſmos & barbariſmos, quibus nunquam poſtea liberari poſſunt. Cur in Hiſpania tanta regnet barbaries, eius rei principalis cauſa eſt noſtra docendi ratio: ex qua ſi damnum, quod naſcitur, benè homines intelligerent, ſine dubio per publicum decretum Scholis nos eiicirent: quod etiam pro certo nobis eveniet. *Hac ille in libro de Morbis Soſietatis cap. 6. de Studiis.*

Nulla eſt Monachorum familia, in quam plura excellentia ingrediantur ingenia, quam in noſtram Societatem, nec ulla, in qua ſit tantum otii ad ſtudendum. Nihilominus ex noſtris valdè pauci evadunt literati, nulli ſunt excellentes Concionatores, nulli Eccleſiaſticarum rerum, nulli humaniorum literarum periti, quoniam nulla proponuntur

tur

tur laborantibus præmia, immò verò humaniores literas docti in Societate contemnuntur. *Hinc porrò iudicare promtum eſt, quantum utilitatis externi, qui Ieſuitæ non ſunt, ex Societatis diſciplina capere poſſint, cùm ipſis Ieſuitis tàm parùm ea conferat.* Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? Eccl. 14.

Quo quiſque eſt in Societate illiteratior eo pluris æſtimatur & honoribus præficitur, quod videntes reliqui, OMNES, aut fere omnes, relinquunt iter doctrinæ, & ingrediuntur viam ignorantiæ. Paucos Societas noſtra habet Philoſophos ac Theologos BONOS, cum tamen in eam ingrediantur tot tàm præclara ingenia, & otio ac ſtudendi commoditatibus affluant, quia ſcilicet in literis Humanitatis fundamenta malè ab eis iacta ſunt. Multi diſcipulorum valetudinis iacturam faciunt, cùm Magiſtrorum dictata excipere cogantur: qui tempus multò melius collocarent, multoque doctiores fierent, ſi potiùs editos hominum clarorum libros legerent, quàm dictata novellorum Magiſtrorum, qui in hoc docent, ut diſcant, perſcriberent.

ARCA-

ARCANA IMPERII JESUTICI.

Ex libro Iohannis Marianæ Societat. Ieſu Theologi,

De Morbis Societatis, eorumq; cauſis & remediis.

Ex Prooemio.

1.

IN Regimine Societatis interveniunt errores multi & graves, ex quibus inconvenientia ſive abſurditates naſcuntur.

2. Maior pars Societatis eſt Vulgus, ea tantum videns, quæ ante pedes ſunt, futura non proſpiciens.

3. In Societate ſunt aliquæ perſonæ, quæ incipiunt intelligere, imò evidenter perſpicere, non continuò aurum eſſe, quicquid auri ſpeciem gerat, & reperiri in Regimine Societatis res & capita, de quibus dubitare liceat, & vnde damna & incovenientia reſultent.

4. In Societate tàm multæ Seditiones ac tumultus fuerunt excitati, ut miraculi ſimile ſit, inveniri aliquem, qui non fuerit illis implicatus.

EX Cap. I.

5. Nemo debet mirari neque ſcandalizari, ſi audiat, unum de antiquiſſimis & maximè pacificis Jeſuitis ſcripto publico confidentem, in Regimine Societatis errores & defectus inveniri.

6. Leges

6. Leges particulares Societatis non tam ex uſu rerum & praxi, quam ex imaginatione ſeu ſpeculatione profluxerunt, quæ origo ſolet eſſe multorum errorum.] *Sanctus nempe Ignatius velut homo Militiam à puero ſectatus & ὀψιμαθὴς nec ſcientiam magnam, nec uſum ſive experientiam rerum Religioſarum ad condendam Societatis formulam in conſilium adhibere potuit, adeoq; bonis cogitationib⁹ tãtũ armat⁹ rem cõfecit.*

7. Hoc melior eſt aliarum Religionum, quam Societatis conditio, quod illæ aliâs vetuſtiores ſibi propoſuerunt imitandas: quarum veſtigiis inſiſtentes ad finem ſibi propoſitum pervenirent: Jeſuitæ vero iter inſtiterunt, bonum illud quidem, & ab Eccleſia probatum, Deoque gratum, valde tamen novum & extraordinarium, adeoque titubationibus & offendiculis obnoxium.

8. Multi Jeſuitæ, ne pro Monachis haberentur, conſilio & ex propoſito à conſuetudinibus, regulis, ceremoniis, ab ipſis denique terminis ſeu vocabulis, quibus ceteræ Religiones utuntur, penitus ſe removerunt, quibus tamen, ſi humiles fuiſſent, ſalvo Societatis inſtituto non ſine commodo ſuo uti potuerant.] *Nunc ita ſe adhibuerunt, ut videantur reddere Iudæos illos, de quibus Ierem. 6. legimus:* Hæc dicit Dominus, ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt, Non ambulabimus.

9. Pro-

9. Probus Societatis filius non debet ignominiæ aut pœnæ metu impediri, quo minus occulta dedecoris, ſeu defectus morbos & plagas matris revelet, ut eis medicina adhibeatur, priuſquam cancro ſerpente fiant penitùs incurabiles.

Cap. II.

10. In Societate totum Regimen ſeu Summum Imperium in unius hominis capite eſt locatum.

11. Generalis Jeſuitarum habet Imperium independens & abſolutum, qui etiamſi deliret, ſive erret, majorem tamen Societatis partem ſibi aſſen tientem habet.

Jeſuitarum alii propterea Generalis ſui ſententiæ quamvis erroneæ ſubſcribunt, quia revera idem ſentiunt, alii ut gratum ei faciant, alii iique major pars, quia ſuperiori ſuo tàm potenti contradicere non audent, ſive ut quietè & pacatè vivere, ſive ut officia & dignitates vel retinere, vel adipiſci poſſint.

13. Si S. Paulus Generali Jeſuitarum & aſſentatorib⁹ eius contradiceret, neque errores illorum probaret, futurum eſſet, ut pro dyſcolo ſive exrravagante, inquieto & turbatore pacis haberetur. [*Hinc porrò de Sapientia & Pietate eorum exiſtimare licet, cum ſcriptum ſit Prov.* 12. Via ſtulti recta in oculis eius. Qui odit increpationes, inſipiens eſt, qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè áget.

14. Socie-

14. *Societatis regimen non eſt penes illos,* qui plus intelligunt, ſed qui plus audeant, pluſque ſe negotiis implicant.

15. In inſtituto & fundatione Societatis non pauca fuerunt mutata, & abrogata propter evidentiam inconvenientium, quæ inde naſcebantur.

16. B. Ignatius in fundanda Societate debuiſſet lentè & pedetentim procedere, & prioribus Religionum fundatoribus, quantum omninò potuiſſet, inniti. Sic enim Societatem multò durabiliorem reddidiſſet.] *Nunc quia loca nullius ante trita ſolo non minimum afferunt metum, ne Societati eveniat, quod eſt Prover.* 11. Iter devium ducit ad mortem *ſeu celerem interitum. Et Ierem.* 18. Oblitus eſt mei populus meus impingentes in viis ſuis, in ſæmitis ſæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito. *Et. Iob.* 22. Num quid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui, qui ſublati ſunt ante tempus, & fluvius ſubuertit fundamenta eorum?

17. Multæ Religiones diverſis ſæculis in Eccleſia non minore cum fervore & zelo, quàm Societas fundatæ fuerunt, ſed earum nulla tàm ſingularem & differentem à cæteris rationem vivendi, quàm Societas, amplexa eſt, quæ non brevi tempore interierit, aut eiuſmodi rationem alia commutaverit.

18. Jeſuitæ deberent cautè procedere, ne-

 que

que tantum ſibi arrogare, ut vel putent, vel dicant, ſe nihil errâre, ſuumque regimen omni culpa carere,

Cap. III.

19. Iam à multis annis in Societate non tàm, qui ſunt imperfectiores & dignitates ambiunt, quàm multi eorum, qui virtute excellunt, & omni cupiditate vacant, amare ſunt animis, neq; ſortem ſuam ferre poſſunt.

20. Officia in Societate non dantur illis, qui ſunt præſtantiores, ſed ijs, in quibus Generalis plus habet fiduciæ, quamvis mille habeant defectus, & vel pauca, vel nulla ad officium requiſita.

21. De malis & dyſcolis, qui ſunt in Societate ſine omni pœna, multum poſſet dici.

22. In Societate multi viri boni fuerunt malè tractati & perſecutionem paſſi.

23. In Societate nulla virtuti ſunt præmia.

24. Totum Societatis regimen fundatum eſt in Syndicationibus ſeu Delaturis, quæ ſunt tamquam fel toto corpore diffuſum, ita ut nemo vel fratri ſuo germano fidem habere poſſit, ſed metuere neceſſe habeat, ne is delatorem agat, & alieno ſumtu ſui Superioris, maximè Generalis gratiam lucrari velit.

25. Generalis, & tres aut quatuor Jeſuitæ in unaquaque provincia univerſum Societatis regimen ſibi vindicant, neque reliquos in partem admittunt, etiam ſi ſint graviſſimæ & doctiſſimæ perſonæ toti⁹ Eccleſiæ Catholicæ.

26. B.Ig-

26. B. Ignatius & priores Societatis præpoſiti Generales non eodem, quo Claudius Aquaviva, ſtilo uſi, nec eandem gubernandi rationem ſecuti ſunt, ut mirum non ſit hodierno tractandi modo Sociorum animos offendi.

27. Aquaviva in principio Generalatus ſui nimiam ſibi auctoritatẽ parare voluit, & antiquiſſimũ quemq; Societatis offendit, datis ad eos literis ſtilo ſicco & cum ſtomacho ſcriptis, quæ fuit res multis nominibus aliena & incommoda.] *Nimirum Campanus faſtus & Neapolitana vanitas, quod ex Ducum eſſet familia, excuſſit ei præceptum illud Chriſti*: Principes gentium dominantur eorum. Vos autem no ſic *Et hoc Petri*; Non dominantes in cleris, ſed forma facti gregis.

Cap. IV.

28. In Societate ab aliquot annis multæ fuerunt rebelliones aut ſeditiones, ex quibus magni & diuturni diſguſtus ſive animorum exacerbationes promanarunt.

29. Mariana in hoc libro ſuo non revelat arcana Societatis mala, quæ ſunt multa. quod exiſtimet, ea neque ſalva charitate neq; ſine imprudentiæ nota publicari poſſe.

30. Ex iis, quæ hoc libro à Mariana referuntur, quis in cæteris provinciis Societatis ſtatus ſit, iudicium facere & ex ungue Leonem cognoſcere licebit.

31. Aquaviva ſtatim ſub initium ſui Generalatus Provinciales eligebat, & Roma in provincias mittebat perſonas valdè improprias ſive ineptas, & graviſſimo, optimo & antiquiſſimo cuique ſuſpectas & improbatas, tantum quia unus & alter amicus eos ſibi commendarat. Et quoniam plures viri graves non omnes eorum actiones probabant, idem Generalis eos ſimul omnes proſcripſit, & ex provincia eiecit, quamvis quidam illorum prius Provinciales fuiſſent.

32. Aquaviva in regimine ſuo hanc habebat rationem, ut turbatores & inquietos reputaret illos, qui non omnes ſui ſuperioris actiones probant neque quod nigrum eſt album dicere volunt. Veritati ac Virtuti primas rerum omnium relinquere nolebat.

33. Sunt in Societate perſonæ non valdè prudentes, qui pro ſpiritualibus habentur & ſub tali titulo extra vagantia ſive Imaginaria ſolent præcipere, putantque quicquid animis concipiunt, poſſe & debere executioni mandari, nullo facto inter ſpeculationem & Praxin diſcrimine.

34. Antonius Marcen Provincialis Caſtellæ apud Inquiſitionem de rebus ad id tribunal ſpectantibus accuſatus fuerat, quod periculum ut evaderet, Jeſuitæ rerum Hiſpanicarum non ſatis periti & favore Generalis nimium confiſi, cum honore auctiorem fecerunt &

Tole-

Toletani regni provincialem elegerunt.

35. Jeſuitæ, qui Romæ ſunt circa Generalem, quamvis ſint terræ filii & Scarabæi ex ſtercore nati, qui tamen Generali ſtudium ſuum in vindicanda eius autoritate venditant, omnibus ſe opponere non dubitant, & ſi quis eorum graves, & magni momenti errores improbet, Leonum inſtar infeſtis in eum animis invadunt.] *Qui locum faciunt ſententiæ Salomonis Proverb.* 17. Expedit magis Vrſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.

36. Potentia Generalis eſt valdè debilis, ſimul ac reſpectum & auctoritatem apud Socios amiſit, cùm multæ ſint rationes, quibus ei reſiſti & cuniculi adverſus eum agi poſſint.

37. Aquaviva in principio ſui Generalatus adhibitis in conſilium quatuor Jeſuitis: quorum tres eam ad rem parum apti erant, librum compoſuit & edidit de Ratione ſtudiorum, quo non ſolum ordinem in Scholis obſervandum, ſed etiam regulam doctrinæ, & quas opiniones circa Quæſtiones Scholaſticorum Societatis Theologi amplecti deberent, præſcribere conatus eſt. Cumque Provinciæ totæ contradicerent, & liber ille ab Inquiſitione fuiſſet prohibitus, tanta fuit eius & conſiliariorum obſtinatio ac pervicacia, ut multa ipſis indecora committerent, quæ ſalvo pudore ſcripto exponi nequeunt.

Cauſa eius erroris fuit defectus prudentiæ, quod minimè intellexit, quæ ſit natura ingenii humani, quamque ardua res ſit imperium in hominum doctorum animos ſibi arrogare.

38. Ex opinionum & ſententiarum libertate, qua Societatis Theologi fruuntur, multæ & ordinariæ diſſenſiones cum Dominicanis ortæ ſunt, quos tamen Jeſuitæ pro magiſtris recognoſcere deberent.

39. Romæ Ieſuitæ cum Dominicanis de Gratia & Libero arbitrio magna cum pervicacia litigant, qui quamvis victoriam reportent, de qua tamen dubitatur, multis tamen aureorum millibus, & inquietudine multorum annorum ea lis conſtiterit.

40. Aquaviva fuit amicè præmonitus, ne tuendo Molinæ libro in ambiguam cum Dominicanis litem Societatem univerſam demitteret. Sed quoniam ille librum illum imprimi permiſerat, & quoniam audaculi quidam iuvenes Theologi Provinciali & Aſſiſtenti, hominibus indoctis, ſe Molinæ librum facillimè defenſuros promiſerant, litem cum Dominicanis conteſtari auſus eſt.

41. Aquaviva fide delatoribus habita Jeſuitam quemdam Valledoleto exulare iuſſerat: ſed ille ſtrenuè ſe oppoſuit, & audiutus favoribus in Romana Curia & Aula Hiſpanica diverſos Jeſuitas Valle doleto eiiciendos & quoſdam ex illis gravi pœnâ afficiendos curavit.

vit. Ac extremum perfecit, ut Pontifex Aquavivam Roma diſcedere, & Hiſpaniæ Collegia viſitare iuberet, quoniam Sanctitati ſuæ perſuaſerat, Generalem non pernoviſſe Societatis homines, eiq; falſis delatorum relationibus imponi.

42. Videtur valdè expediens, Generalem Româ diſcedere & Societatis Collegia in diverſis provinciis viſitare.

43. Tàm multæ, & tàm graves ſeditiones, quibus Societas conflictatur, ſatis demonſtrant, in Regimine eſſe puncta quæ REFORMATIONEM poſtulent.

Cap. V.

44. Non eſt ullum caput in toto Societatis regimine, in quo Jeſuitæ maiore ratione uti ſibi videantur, quàm in educatione Novitiorum. Sed Mariana nullum caput eſſe iudicat, in quo Societas æquè deliret, extraque omnem rationem feratur.

45. Novitii Societatis educantur, ut inter Homines militares, Hæreticos & Gentiles vivant, perque fora, diverſoria & hoſpitalia volitent, itaq; absurdum eſt eos ſic concluſos haberi, ut neque eos videant, qui eiuſdem ſunt religionis, neque ab illis videantur.

46. Iidem novitij eo ipſo tempore, quo pietas eorum fervet cum maximè, exquiſitis epulis ac fructibus paſcuntur, varijsq; deliciis & plurimis commoditatibus adſuefiunt, ex quo fit, ut animi magnæ partis Jeſuitarum

ſint amantes deliciarum, & laborum ac moleſtiarum intolerantes, adeoque pedibus iter facere & frigus æſtumque tolerare nolunt.] *Vt enim ait Salomo Proverb.* 22. Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. *Et ut Satyricus*: Cupiet lauto cœnare paratu Semper, & à magna non degenerare culina.

47. Jeſuitæ contra mentem B. Ignatij & contra ſtatuta ordinis introduxerunt domos probationis, & tamen ſubinde clamitant, nihil eſſe mutandum in Societatis inſtituto.

48. Multi Jeſuitæ diu multumque comedunt, neque tamen quicquam operis faciunt, contra mentem & praxin B. Ignatii: eaque res ære alieno Societatem obruit.

49. Jeſuitæ Novitiis educandis minimè ſatis faciunt Statutis Societatis, quæ jubent Novitios probare peregrinationibus, hoſpitalium viſitationibus, & miniſteriis ſervilibus; nam talia aut omninò prætermittuntur, aut defunctorie tantum ac dicis cauſa, ſive pro forma ab eis præſtantur.

50 Jeſuitæ non ægrotant neque moriuntur, quia nimium laboraverint, ſed quia intemperantius cibis ſe repleverint ac delicatè nimis vixerint.

51. Jeſuitæ humilitatem, caritatem, patientiam aliasque virtutes potiùs ſpeculari, ſeu meditari, quàm opere ipſo exercere diſcunt.

52. Jeſui-

52. Jeſuitæ numquam didicerunt eſſe homines, ac propterea non aliter, quàm beſtiæ ab aliis curari neceſſe habent.

Cap. VI.

53. Jeſuitæ ſub prætextu juventutis ad virtutes dirigendæ, provinciam docendi politiores literas in ſe ſuſceperunt: ſed ordinariè biennium aut triennium illi profitentur literas, qui eas neque didicerunt umquam, neque diſcere volunt, adeoque diſcipulis imprimunt ſolœciſmos & barbariſmos, quibus numquam poſtea liberari poſſunt.] *Quis verò hoc deplebiis minorumq; gentium Ieſuitis miretur, cum Solœciſmos, barbariſmos, aliaq; dictionu vitia, vel puero erubeſcenda, etiam illorum Ieſuitarum libri doceant, qui inter eos familiam ducunt, & claſſicorum auctorum libros Scholis excutiunt, tanquam Maffeii, Pontani, Famiani Strado, Drexelii, aliorum?*

54. In Hiſpania hodiè magna regnat barbaries ac linguæ latinæ imperitia. Eius rei princeps cauſa ſine dubio eſt Jeſuitarum docendi ratio.

55. Si homines benè intelligerent damnum, quod ex Jeſuitarum ratione docendi in publicum redundat, ſine dubio per decretum publicum Scholis Jeſuitas eiicerent: quod quidem aliquando eventurum Mariana ominatur.

56. Inter Jeſuitas vix quiſquam eſt, qui

rectè noverit Grammaticam, poëticam, aliaſq; politiores literas: & ſecularib⁹ hominibus locum præripiunt, ex quo fit, ut nemo humaniores literas probè diſcat, & hæc cauſa eſt, cur vix inveniatur in Hiſpania, qui tria verba Latina noverit.

57. Inter Ieſuitas, quò quisque eſt illiteratior, eò pluris æſtimatur, & honoribus præficitur, quod videntes reliqui omnes, aut fere omnes, relinquunt iter doctrinæ, & ingrediuntur viam ignorantiæ.

58. Inter Jeſuitas pauci ſunt boni Philoſophi ac Theologi cum tamen in eam Societatem ingrediantur tàm præclara ingenia, & otio ac ſtudendi commoditatibus abundent, quia ſcilicet in literis Humanitatis fundamenta male ab eis jacta ſunt.

59. Scholaſtici Theologi inter Jeſuitas quoniam nec Sanctos Patres intelligunt, nec linguas didicerunt ad Sacræ Scripturæ intelligentiam neceſſarias, aut ad conciones animum applicant, aut otio ſe dedunt.

60. In Scholaſtica Jeſuitarum Theologia nulla eſt concordia, nulla conſtantia. Quod alius ait, alius negat: quod hic veriſſimum, ille contendit eſſe falſum. Nec tantùm opiniones ac ſententiæ, ſed etiam loquendi modus intra paucos annos mutatur, ita ut qui in uno Collegio didicerunt, ex alio venientes non intelligant. Hæc res factiones generat, &

Jeſui-

Jeſuitas in partes ac ſtudia diducit.] *Et tamen ſemper de concordia ſua plenis buccis prædicant.*

61. Jeſuitæ Scholaſtici magnam Lectionum Theologicarum partem in eo conſumunt, ut S. Thomam, velit nolit, in ſuam ſententiam cogant.

62. In Jeſuitarum Scholis multæ opinioes hodie pro veris ac ſolidis habentur, quas olim habuerunt pro falſis & extra vagantibus ſeu peregrinis.] *Vt nunc quoque verum fiat, quod ſapiens ait Eccl.* 27. Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol, ſtultus ſicut Luna mutatur.

63. Multi diſcipuli Jeſuitarum valetudinem perdunt cum cogantur ſcribere magiſtrorum dictata.

Cap. VII.

64. Jeſuitæ contra conſtitutiones Societatis eundem veſtitum tribuunt Laicis ſuæ Societatis, ſive Coadiutoribus Temporalibus, quem Sacerdotibus; quæ ipſa æqualitas obſervatur in multis aliis rebus.

65. Jeſuitæ quaſi ex dimidia parte ſunt Laici, quorum duo tantùm conſumunt, quantum tres Sacerdotes. Multum enim comedunt, multum bibunt, multum rumpunt aut frangunt.

66. Jeſuitæ Laici ordinariè ſunt parùm rationis capaces, ingeniis aſperis, velut ex officina aut ab aratro profecti, honorē parvi faciūt, adeoq; facilè labūtur. Ordinariè quoq;

parum amant labores, ita ut unus Novicius tantum laboret, quantum duo aut tres Laici.

67. Societatem perdit nimia Laicorum multitudo, quoniam volunt Novicios & ſtudentes in nimio ocio educare, neque ulli labori admovere; & quoniam dedignantur ab aliis ordinibus Monachorum quicquam diſcere.

Cap. VIII.

68. Jeſuitæ ingenti ære alieno ſunt obruti, ita ut in ſola provincia Toletana debeant plus quam ducenta quinquaginta millia ducatorum. Nec enim faciunt, quod aliis ſuadent & imponunt, ut metiantur reditus ſuos, nec plus expendant, quàm poſſident.] NB. *Si proportione tantundem æris alieni Ieſuitæ in cæteris habent provinciis, ſicut habere eos credibile eſt, cùm alibi eadem ſint cauſæ debita contrahendi, cùmque Mariana cap. 4. ſcribat:* Ex ijs quæ hic dicuntur, quid alibi in Societate fiat, judicium facere, & ex ungue, quod ajunt, leonem cognoſcere licebit. Societatem totam circiter octo aureorum milliones debere oportet.

69. Quando Jeſuitæ adhuc valdè exiguas tenebant facultates, non contrahebant debita: nunc autem poſtquam facti ſunt divites, debitis penitùs obruuntur.] *Quàm verò ſint divites, vel hinc æſtimare licet, quod Societas ex ſolius Catholici Regis annuo reditu quingenta ducatorum millia quotannis capit, idque in ſola Ca-*

ſtella

ſtellanis regnis, in quibus Luſitaniæ, Aragoniæ, Valentiæ, Navarræ & Cataloniæ regna non numerantur.

70. Jeſuitæ ſunt nimis lauti & ſumptuoſi in veſtitu aliisque rebus neceſſariis.

71. Jeſuitæ Laici ſunt animoſi in faciendis impenſis, non aliter, quam ſi comitum eſſent filij.

72. Jeſuitarum Superiores habent Imperium nimis abſolutum, & independens, ac quicquid cuique libet faciunt. Quod alter ædificat, alter diruit, quod alter plantavit, alter evellit: quæ res maximarum impenſarum cauſam præbet.] *Notetur bene, quomodo Jeſuitæ eleemoſynis & largitionibus ſibi factis uti ſoleant.*

73. Jeſuitæ quotannis in lites & vecturas librorum ac literarum plus quàm quinquaginta millia ducatorum impendunt.

74. Inter Jeſuitas non ſolent bona fide impenſarum rationes exigi, & quamvis exigi ſolerent, tamen ſi quis Rector aut Procurator minus fidelis ſit, magnas pecuniarum ſummas dilapidare poteſt.

Cap. IX.

75. In Societate multi & graves lapſus contigerunt, qui noti ſunt, quamvis ſedulò tegantur

76. Jeſuitarum prædia ruſtica cauſæ ſunt, cur in illis animus reddatur parùm humilis & parum Spiritualis.

Cap. X.

77. Imperium ſive Monarchia Generalis eſt Tyrannica, cum non gubernet ſecundum leges in infinitis negotiis, nam aut nullæ extant leges, aut ſi extent, in ijs diſpenſat. Non etiam utitur conſilio, niſi duorum aut trium in una quaque provincia: quos ſibi novit obnoxios: reliquos omnes quamvis prudentia ac probitate multò ſuperiores contemnit.

Cap. XI.

78. Omnes provinciales & ſuperiores Jeſuitarum Tyrannicè imperant ſibi ſubjectis. Facit enim unuſquiſque quicquid libet, & quamvis cœcus ſit, cogit eos, qui vident, illam inire viam, quæ ipſi probatur. Itaque imperatur invitis: quod eſt Tyrannicum.

79. In Societate de multis caſibus non extant leges, neque pœna propoſita eſt ei, qui aberrat imperando, & ſi quæ ſunt leges, eas non obſervant illi, qui præſunt, aut interpretantur pro libito.

80. Superiores Jeſuitarum ſunt homines minimè digni, qui officiis præſint, cum Generalis metuat ac ſublatos velit, quorum eminentes ſunt virtutes. Boni quàm mali, ei ſuſpectiores ſunt.

81. Multa facta mala & turpia in Societate committuntur, quæ manent impunita, & involvuntur ſilentio.

82. Generalis Jeſuitarum eoſdem homines in

in officijs ſive præfecturis ſubinde reficit, & imperium eorum perpetuat, quoniam ita putat expedire Monarchiæ ſuæ, cuius conſervationi unicè ſtudet, nam cæteros, quos non ita novit, metuit, ne ſcilicet Monarchiæ ſuæ impedimentum afferant.

83. Multi inter Jeſuitas ſunt delatores, quamvis honeſtiori nomine appellentur, qui malefaciendo gratiam ſuperiorum ſibi conciliant, adulatores etiam non pauci, eſtque valdè frequens in Societate hoc Adulationis vitium. *Cap. XII.*

84. Iniuſtitia ſub varijs prætextibus in Societate dominatur ac regnum obtinet, ita ut nulla ſit Sicariorum ac latronum Societas, in qua, ut ſalva ſit diutius, Juſtitia non plus loci habeat, quàm in Societate Jeſuitarum, cùm in ea non obſervetur lex naturæ, quæ iubet præmia & honores (qualia certum eſt eſſe primaria Societatis officia ſeu præfecturas) diſtribui pro cuiusque merito. Nam pauci homines juvenes, nulla nec eruditione, nec alia laudabili qualitate præditi, honoribus in ea afficiuntur & in officiis per viginti aut triginta annos continuantur, quoniam ſciunt adulari ac ſeſe ingerere, longè autem plurimi prudentia, literis ac virtute præſtantes in perpetuum ab officiis excluduntur. Quamvis enim Pontifex decreto ſanxerit, ut tertio quoque anno Superiores mutentur, Generalis tamen calliditate ſua

de-

decretum illud eludit irritumque facit, eoſdem homines mutatione in orbem facta ab alio ad aliud officium transferendo, reliquis omnibus non minus nunc, quàm ante illud decretum, ab omni officiorum ſpe in perpetuum excluſis.

XIII.

85. Delatores, teterrimum genus hominum, quos ipſi quoq; gentiles Imperatores morte afficiendos putabant, quibus priſca Concilia, ne in mortis quidem articulo communionem corporis Chriſti permittebant, in Societate velut neceſſarii tolerantur: ex quo fit, ut perierit inter Jeſuitas animorum conſenſus & caritas fraterna, dum nemo alteri fidit, ſed ab omnibus metuit.

86 Generalis Jeſuitarum ex nimio abſoluti imperij deſiderio, Delaturas in archivum ſuum admittit, iiſque credit, non audito eo, qui accuſatur: quod iniuſtitiæ genus ab ipſis etiam ethnicis improbatur. Certum habet Mariana. ſi Romæ evolvantur Patris Generalis ſcrinia, ne unum quidem in tota Societate virum bonum inventum iri, ſaltem eorum qui Roma abſunt longius, nec Generali noti ſunt.

XIV.

87. Nulla eſt Societas, in qua tàm nulla ſint virtuti & eruditioni præmia, atque in Socie-

cietate Jeſu, ubi non modò ſcientia & Ignorantia æquantur, ſed etiam Scientia impedimento eſt, quò minùs quis conſequatur præmia humanis ac divinis legibus debita.

88. Nulla eſt Monachorum Religio, in quam plura excellentia ingrediantur ingenia, quàm in Societatem Jeſu, nec ulla, in qua tantùm ſit ad ſtudendum otij: nihilo minùs valdè pauci Jeſuitæ evadunt literati, nulli ſunt excellentes Concionatores, nulli Eccleſiaſticarum rerum, nulli humaniorum literarum periti, quoniam nulla proponuntur laborantibus præmia, imò verò humaniores literas docti contemnuntur.] *Cogitent nunc rerumpub Capita, quàm tutò iuventus ad Ieſuitarum Scholas mittatur, cùm tantùm ſit periculi, ne præſtantiſſima quaque ingenia publicis patriæ uſibus ſubducta nullo ferè operæ pretio in Societate conſeneſcant.*

89. Certum eſt, nullam in Societate Jeſu valdè gravibus delictis infligi ſolere pœnam, modo qui deliquit, iram atque animos à crimine ſumat, ſeque audacem & defenſioni paratum oſtendat. Diſſimulantur ergò ſcelera ſub hoc prætextu, quod ea non ſatis probari poſſint, & quod non oporteat rumores ſuſcitare, ut extraneis innoteſcat, quid in Societate geſtum ſit. Totum regimen Jeſuiticum videtur hunc habere ſcopum, ut malefacta injecta terra occultentur, & hominum notitiæ

ſub-

ſubtrahantur.] *Similiter Phariſæi a foris apparebant hominibus ſpecioſi & iuſti, cùm intus pleni eſſent hypocriſi, iniquitate & omni ſpurcitia, Matt. 23. quibus etiam Chriſtus ait Luc. 16. Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda veſtra.*

90. Provinciales & Rectores Jeſuitarum, ſi vel graviſſimè peccent violando regulam ac ſtatuta, ædificando & diruendo ſine ulla neceſſitate & nemine conſulto, dilapidando facultates Societatis, aut largiendo conſanguineis, non niſi poſt multos demum annos puniuntur, ſed non aliâ pœna, quàm ut eis abrogetur officium, quod geſſerunt, dato plerumque officio meliori.] *Hinc Principes & divites exploratò ſcire poſſunt, in quàm pios uſus Eleemoſynæ Societati datæ conferantur.*

91. Eſt dictu miſerabile, quod Boni & Deo Servientes, qui ſunt inter Jeſuitas, aut ſine ulla cauſa, aut propter leviſſimas cauſas iniuſtè affliguntur, & vexantur, atque etiam interficiuntur, quoniam videntur muſſitaturi iniurias, neque ſe oppoſituri: improbi autem tolerantur, quoniam ſuperioribus ſunt timori. quæ ſola res ſufficit, ut Deus innocentium vindex funditus ſubmergat Societatem.] *Hinc Parentes diſcant licet. quàm benè liberis eorum conſultum ſit, quando dato Societati nomine ſub jus & ditionem tàm benigni Principis conceſſerunt.*

Cap.

Cap. XV.

92 Generalis Jeſuitarum in imperando non bonis regibus ac principibus ſe ſimilem facit, qui Senatum magni fecerunt, ſed imitari mavult malos principes ſive Tyrannos, ac nominatim Tarquinium Superbum, qui ante omnia conatus eſt debilitare Senatus numerum & auctoritatem, ut omnia ſuo libitu facere poſſet. Similiter Generalis cum ſuis Aſſiſtentibus odit Congregationes generales, omniaque tentat, ne tales inſtituantur conventus, quibus rerum geſtarum rationem reddere neceſſe habeat.

Cap. XVI.

93. Generalis cum ſuis Aſſiſtentibus ridet ea, quæ ipſi à Provincialibus Congregationibus proponuntur, & pluris facit, quæ unus aliquis ſcribit, quem ſibi novit obnoxium: idque facit propter nimium Zelum alendæ & amplificandæ ſuæ Monarchiæ,

X*VII.*

94. Regimen Societatis eſt contra naturam, cum boni, docti, ſenes, & nobiles pareant, minùs boni, idiotæ, juvenes, ignobiles, nulliſque dotibus conſpicui præſint, omniaque ex libidine ſua moderentur.] *Nullus ergò in Societate locus eſt ſententiæ illi Prov.* 11. Qui ſtultus eſt, ſerviet ſapienti.

95. So-

95. Societas Jeſuitarum eſt ſimilis mercatori, qui conturbavit ac fidem perdidit. Nam viris gravibus erepta eſt exiſtimatio, ut ab officiis excluderentur. Qui autem officiis præfecti fuerunt, ad ea ſe minimè idoneos eſſe rebus ipſis declarant.

96. Generalis Jeſuitarum in eligendis officialibus non curat quod ſit cujuſque talentum aut dotes eminentiores, ſed quàm benè ſecum aut cum provinciali ſuo conformetur, quæ cauſa eſt, cur homines vilis & abjecti animi eligantur, qui à ſuperioribus duci ſe ſinant velut nervis alienis mobile lignum.

Cap. XVIII.

97. Jeſuitæ contendunt, omnes leges à B. Ignatio latas conſervari, nec quicquam in ijs mutari oportere, quod eſt inſignis ſtultitiæ argumentum. nam perinde faciunt, ac ſi quis contenderet, filios jam adultos indui debere ijsdem veſtibus, quas eis adhuc pueris pater ſuus faciendas curaverat.

98. Jeſuitæ nolunt mutare legem de Profeſſione, ut ejus ſcilicet tempus arbitrio Superioris unicuique conſtituatur, quamvis evidens ſit eam legem & Societati & toti reipub. Chriſtianæ plurimum nocere. Primum enim multi hac occaſione ex Societate egrediuntur, multi fiunt inutiles, ut nec ſint boni religioſi, nec boni ſæculares, multi ingre-

diun-

diuntur Societatem, ut nulla ſua impenſa ibi diſcant literas ac Scientias, ac voto ſuo potiti Societatem deſerunt. Multiplicatur etiam numerus Clericorum & Sacerdotum mendicantium, qui ſi conſequantur alicubi beneficia Eccleſiaſtica, ſalivam movent alijs Jeſuitis, ut & ipſi ex Societate velint exire: Si non conſequantur, fame mori neceſſe habent.

Cap. XIX.

99. Omnes ferè Jeſuitarum leges & conſtitutiones ex ſpeculatione, non ex praxi aut experientia natæ ſunt. Itaque à Canonibus & jure communi plurimum diſſentiunt, ipſosque Jeſuitas velut homines ſingulares & ſuo tantùm judicio utentes in aliorum odium inducunt.

100. Jeſuitæ indignum putant ſe illud probare & amplecti, quod alii Monachorum ordinis ipſo rerum uſu docti utile invenerunt. Ex eo fit, ut omnis eorum vita conſumatur in tentando & capiendis rerum experimentis, nihilq; ſit in Societate firmum ac ſtabile, ut etiam neſciant adminiſtrare rem familiarem, utque non ſapiant nec diſcere etiam velint.

Cap. XX.

101. Inveniuntur homines ſæculares tam Obtusi & rerum Imperiti, ut quoniam eorum eleemoſynis & beneficiis adjuvamur, à nobis viciſſim poſtulent, ut in omnibus rebus

rebus è veſtigio neceſſitatibus eorum ſuccurrere parati ſimus, ſeu conſilio eis, ſeu quâ re aliâ opus ſit: ut conciliemus eorum matrimonia (*tanquam homines ad Conciliaturas ſeu Rufianiſmos aut copularias honeſtas facti*) condamus Teſtamenta, patrocinemur litigantib. (*ſtrophas & ſutelas forenſes minimè indocti*) gratiam aliquam apud Magnates aut Judices ambientib. ſuffragemur (*velut adulandi artifices, & improbitate atque impudentia quidvis extundere callidi*) proſpiciamus eis delicias & neceſſitates domeſticas (*velut homines haud fatuo palato nec ad Genium ſtultè ſapientes*) ut propediem, niſi jam id factum eſt, videantur impoſituri nobis officium Majoris domus vel œconomi, & Tabellarii, aut Mediaſtini domum verrentis (*quia Ieſuita eſt omnis homo, & omnia omnibus factus, ut omnes lucrifaciat, ſibi tamen, non Chriſto.*) Et in talibus quidem exercitijs, & ſi nimis SAECULARIBUS, ſub SPECIE tamen CARITATIS (*quod hypocritæ facere ſolent*) noſtri occupati plus iuſto foris eſſe ſolent. Quin uſque adeò abuſus iſte redijt, ut ſub Confeſſarij titulo MULTI Magnates, tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſtici, quocunque vadant, poſt ſe trahant, aut in comitatu habeant aliquem ex noſtris, non aliter ac ſi eſſent eorum Sacellani vel Capellani ad rem divinam in domeſticis eorum Oratorijs faciendàm. In ſola quidem Valliſoleti civitate

plus

plus quàm duodecim Patres in ejuſmodi negotijs occupantur. Eſt autem veriſimile Magnatesin eo potius ambitione aut dignitatis ſeu reputationis ſtudio duci, quàm pietati vel devotioni ſervire) *quæ ſanè ſumma eſt vanitas, & erga Deum hypocriſis & nominis Catholici opprobrium*) præterquam quod etiam minore impenſa unius de noſtris, quàm alicuius inſignis de Univerſitate aut Academia viri opera utuntur (*quod jam Avaritiam Principum & Epiſcoporum arguit*) Hinc porrò multa parum nobis digna oriri ſolẽt. Non nemo enim noſtrum Magnatis favore fretus, cui eſt à Confeſſionibus, minimè bonus Regulæ ſuæ obſervator evadet, & Superioribus ſuis adverſari non timebit, ſicut QUOTIDIE ſanè experimur. Huius mali cauſam credo, quod Patribus ſenioribus, & minimè contemnendis nullus â Superioribus honos habetur, nec eorum voluntatibus ulla in re obſecundatur. Neglecti ergò ex eoque acerbati rationibus & modis tàm â religioſa vita alienis honorari quærunt, atque ſuperiores, à quib⁹ contemti oppreſſique ſibi videntur, ulciſci ſtudent.

Sic Mariana nos veras docet cauſas, cur hodiè omnes fere Regum Principumque Aulæ â Jeſuitis obſideãtur. In Principibus ait eſſe vanitatem, hypocriſin, avaritiam ſive ſordes,

& ſtu-

& ſtuporem ingenii atque imperitiam In quo ſi Principes injuriam ſibi fieri putant, æquum eſt, ut non ali potius, quàm Marianæo nomine ſuccenſeant. In Jeſuitis cauſam putat eſſe partim Superiorum impotentiam ac Tyrannidem, ſocios propter ſenectutem aliaque merito ita honore dignos contemtim contemnentium & exacerbantium, partim iram & vindictæ cupiditatem in Principum Confeſſariis, ſe contemni dolentibus, & incolumitati ſuæ præſidium ac tutelam adverſus ſuperiores, eorumque adulatores & delatores comparantibus. Docet nos pariter, quibus in rebus ſæcularitas & Aulicismus Jeſuitarum ſpectari ſoleat, nimirum in conciliaturis matrimoniorum in condendis Teſtamentis in quibus ſedulò cavent, ne Collegiorum Jeſuiticorum mentio prætermittatur, in gubernandis litibus forenſibus, in poſtulationibus hominum apud Principes & Judices ſuffragatione ſua adjuvandis, inque animis judicum ad favorem ſuorum clientum detorquendis, in proſpiciendis & parandis iis quæ ad cuticulam genialiter curandam ſunt idonea, in obeundis denique maximis, mediis & infimis Aulæ miniſteriis, quo ſanè exemplo recoctum & capitalem Jeſuitam alicubi videre eſt, Principi ſuo eſſe à Confeſſionibus, à Sacello, ab Aula, à Culina, à Conſiliis, ab Epiſtolis, ab omnibus, quoniam Princeps eius fortaſ-

ſis

ſis adhuc ferulam timet ac vapulare metuit; aut ſtipendium Conſiliarii & Secretarii ad lucrum & compendium ponit, aut Jeſuitis ſuffragantibus in Regia Cæſaris quicquid velit, minore negotio impetraturum ſibi videtur: in quo tamen, opinor, ſua eum ſpes non minus quàm alios eadem facientes, ſæpius fruſtratur. Is autem Jeſuita videtur eſſe de Metiochi illius Athenienſis proſapia, in quem puerorum Atticorum næniam iſtam per vias quotidiè audiri ſolitam auctor eſt Plutarchus; *Metiochus ducit copias, Metiochus vias curat, Metiochus exercet panarium, Metiochus farinam tractat, Metiochus praeſt omnibus, Metiochus ergò plorabit.* Hinc porrò diſcimus Aulicíſmo & ſæcularitati Jeſuitarum non eundem ubique finem ſive ſcopum eſſe propoſitum. Qui enim ſunt de Vitelliana hæreſi, eo animo & conſilio Aulis & negotiis ſæcularibus implicantur, ut imperium Vitellii amplificent, multaque nova Collegia ſocietati condenda, aut Monaſteria veteribus Religioſorum ordinibus auferenda curent, Monopolium denique gratiæ apud Deum & homines, ſanctitatis, eruditionis, morum, fidei ac famæ ſocietati conficiant. Horum ſæcularitas non tantum à crimine abeſt, ſed laude quoque à Vitellio afficitur, ſicut *pater familiâs laudavit villicum iniquitatis, eò quod prudenter feciſſet.* Alia illorum eſt ratio, qui ſibi ſerunt, ſibi metunt,

ſuæque ſecuritati adverſus Vitellianorum vim & tyrannidem conſulunt. Hos Vitellius judicat eſſe improbos, quippe à quibus non modo ſocietati, ſed & Principibus atque Epiſcopis exitium portentatur. Hoc enim argumentum eſt verborum Aquavivæ, in *Induſtriis de curandis morbis ſocietatis*, quem librum ſucceſſor eius Vitellius Romæ vulgavit: *Sæcularitas, & Aulicismus, inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, Morbus eſt in ſocietate, & intra & extra periculoſus* (id eſt, & Jeſuitis Aulicis, & eorum Principibus) *& iſtis, qui eum patiuntur, & Nobis* (Superioribus) *ferè neſcientibus paulatim ſubintrat, SPECIE quidem* (ac fallaci colore ſeu prætextu) *lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad divinum obſequium* (ſive ad Majorem DEI gloriam) *homines eiuſmodi ſocietati, juvandi proximos, &c. Sed REVERA quærimus interdum Nos ipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectimus.* Hæc Aquavivæ verba Vitellius, ut dixi, anno 1616. publicavit, nec tamen erubuit eodem tempore literis ad omnes Jeſuitas datis de totius Societatis ſuæ integritate ac ſanctitate, tam glorioſo mendacio paratragœdiare: *Ex ſingulari DEI benignitate conſiſtit etiamnum in ipſo Religionis noſtræ corpore Spiritus ille, quo primum animata coaluit, iſque non modo non emortuus, ſed etiam valens ac vegetus.* Increpet Dominus in te Satan, os impudens! cui au-

ctor

ctor ſum ut pudoris aliquid alicunde ſumas mutuum, quoniam tibi quidem omnem pudorem periiſſe video.

Ex Epilogo.

102. Major pars Jeſuitarum, qui profeſſi ſunt, non ſervant paupertatis votum, cùm vivant in Collegiis eorumque reditus conſumant.] *Ita fides ſit ſententiæ illi Proverb.* 13. Eſt quaſi dives, cùm nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cùm in multis divitiis ſit.

103. Multa Romam Generali Jeſuitarum ex Collegiis munera mittuntur ad conciliandam eius gratiam, ita ut periculum ſit, ne tandem officia Societatis pecunia emantur.] *Vt enim ſcriptum eſt Proverb.* 18. Donum hominis dilatat vitam ejus, & ante Principes ſpatium ei facit *Et Iſai.* 1. Principes tui infideles, ſocii furum Omnes diligunt munera, ſequũtur retributiones.

Multi Jeſuitæ faciunt itinera, & majore pompa quàm paupertatem profeſſis conveniat. Omnes curru vehi volunt, nemo pedibus iter facere.] *Nimirum ſi reviviſceret Salomo, iterum videret Malum illud, quod ſtultitiæ Principis alucinantis argumentum vocat Eccleſ.* 10. Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errororem egrediens à facie Principis. Vidi ſervos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos.

 105. Mul-

105. Multæ ſunt Jeſuitarum recreationes, quæ alicubi multos menſes durant.] *Itaque etiam in illis locum invenit, quod Sap. 15. ſcriptum eſt:* Æſtimaverunt Ludum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitam ad Lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere. *Hoc enim verè eſt non modò Ludimagiſtrum, ſed & Lucrimagiſtrum eſſe.*

106. Multi Jeſuitæ multos annos manēt proprietarii, multique ſunt inter eos otioſi nullam ad rem utiles.] Et adhuc audent Monachos traducere, tanquam inutilia terræ pondera.

107 Deliciæ quorumdam Jeſuitarum ſunt nimiæ, eiſque nocent.

108. Jeſuitæ nimios ſumptus faciunt, ac rem familiarem dilapidāt maleque perdunt.] *Vt ipſorum quoque exemplo verum fiat illud Prover.* 11. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. *Et Proverb.* 21. Qui diligit epulas, in egeſtate erit.

109. Nemo quantumlibet cœcus ſit negare poteſt, Societatem Jeſu à recta ratione aberrare, ac propterea propediem funditus interituram eſſe, niſi Deus opem ferat, hoc eſt, mentem Jeſuitis, inſpiret, ut rectè monentibus patêre, ipſique ſe REFORMARE velint.

AR-

ARTIFICIUM JESUITICUM

Iuvenes in Societatem illicendi.

IGnatius miræ fuit ſolertiæ in ſolicitandis mortalibus, à Diaboli ſervitute ad Chriſti obſequium traducendis: ac quibus ARTIBUS Dœmon ad animarum perniciem utitur, eaſdem ipſe (*quo ad liceret ac fas eſſet*) ad hominum ſalutem ac beneficium transferebat, Voluntates ac naturas eorum, quibuſcum ageret, feſtivè (*id eſt, ante omnia*) odorari, ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis iucunda proponere, & ſuo quod ajunt HAMO vel ESCA quemque piſcari.

Ita ſcribit Maffeius in vita Ignatii lib. 3. cap. 11. quem librum Pater Generalis Societatis probavit Romæque em ſit, ut omnes Jeſuitæ in Patris ſui Ignatii vitam ac mores intueri, eiuſque imitatione omnes actiones ſuas dirigere poſſent. Iam itaque miſſas faciunt Jeſuitæ artes illas, quibus Chriſtus & Apoſtoli ad homines àd Dei obſequium traducendos uſi fuere, ut nimirum aſpera omnia, dura, difficilia, prorſuſque hominibus Dei ope non adiutis inconceſſa ſive impoſſibilia proponerent. *Venite ad me* (ait Chriſtus) *tollite ſuper vos iugum meum & onus meum*, id eſt, ita vos animis comparate, ut fiatis Aſini, iumenta ſubiugalia & humeros ad portandum ſupponatis. *Si quis venit ad me, & non odit pa-*

trem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam ſive vitam ſuam, ſive qui non tollit Crucem ſuam quotidiè & ſequitur me, non eſt me dignus, nec poteſt meus eſſe diſcipulus. Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. In mundo preſſuram habebitis. Eritis odio omnibus propter nomen meum. Plorabitis & flebitis. Omnis qui interficiet vos, arbitrabitur ſe obſequium præſtare Deo. Eadèm arte utitur & S. Petrus, qui Deo ſervire volunt, eos patientiæ cogitatione armari iubet, 1. Petr. 4. *Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et 1. Petr. 2. *In hoc vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.* Similiterque Paulus 2. Timoth. 3. Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur, ſive ab aliis, ſive à ſeipſis. Galat. 5. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifigere debent cum vitiis & concupiſcentiis.* Iſtæ igitur ſunt Chriſti & Apoſtolorum artes. Sed Satan voluptariis iucunda proponit, & Ambitioſis ſplendida, quomodo Evam induxit, *ut comederet*, quod erat iucundum. Sic enim fore, ut ipſa & vir eius *fierent ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*, quod erat ſplendidum. Similiter Chriſto eſurienti ſuaſit *ut ex lapidibus faceret panes*, quod erat iucundum: ut omnem mundi gloriam ipſo adorando acquireret, quod erat ſplendidum. Quod idem Avaris utilia proponat, docet Paulus 1. Timoth. 6. cum demonſtrat, eos

qui

qui non contenti ſunt victu & amictu, ſed *volunt fieri divites* ſive ſupervacua poſſidere, *incidere in tentationem & laqueum Diaboli.* Jeſuitæ igitur non Ignatium, hominem ſanctum & Chriſti imitatorem (de quo quæ ſic ſcribit Maffeius, ſine dubio ſunt mendacia) ſed Satanam imitantur, eiuſque artibus utuntur, cùm omnium primum curioſè inveſtigant, quibus quiſque rebus capi vel offendi ſoleat, tum ſuo quemque hamo vel eſca piſcantur & in Societatis naſſam perducunt, ut in eos conveniat illud Jerem. 5. *Inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros* (id eſt, non plebeios homines, ſed primarios. Sic enim nomen *Viri* in Hebræo uſurpari ſolet) *Sicut decipula plena avibus illicibus: ſic domus* ſeu Collegia *eorum plena dolo* (ſive artibus iſtis Diaboli) *Ideò magnificati ſunt & ditati*) Hinc magnifica & opulenta eorum Collegia (*Incraſſati ſunt & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſimè. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, populus meus dilexit talia. Numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, aut ſuper gentem huiuſcemodi non ulciſcetur anima mea?* Hinc porrò Germaniæ Catholici diſcant licet, Jeſuitarum artes & adulationes, tùm Sacerdotum ſive Epiſcoporum applauſus, tandem ſæcularium eas diligentium conſenſum omnium malorū publicorum cauſam caputque eſſe.

E 4 Jerem.

Jerem. 49.

Ego diſcooperui Eſau: revelavi abſcondita eius, & celari non poterit.

Luc. 8.

Non eſt occultum, quod non manifeſtetur: nec abſconditum, quod non cognoſcatur & in palam veniat.

INSTRUCTIO SECRETA pro Superioribus Societatis Jeſu.

Lectori S.

SUperioribus annis cum Chriſtianus Dux Brunſuicenſis, qui ſe Halberſtadienſem Epiſcopum ferebat, Paderbornæ Jeſuitarum Collegium diripuiſſet, bibliothecam eorum cum ſcriniis literarijs dono dedit Patribus Capuccinis; qui in ſcriniis Rectoris Secretam iſtam Inſtructionem invenerunt, quod ipſum in Pragenſi Jeſuitarum Collegio contigiſſe homines fide haud indigni teſtantur. Nec verò cuiquam dubium eſſe poteſt, qui Jeſuitis paulo familiarius utitur, quin Primores Societatis hujuſmodi occultis monitis à Generali Præpoſito inſtruantur, cum quæ in iſto mandatorum libello monentur, paſſim Jeſuitas factitare conſtet. Plurimùm verò Societatis Regulis conſtitutionibus & typo deſcriptis Inſtructionibus ea adverſari certum eſt:

ut haud difficulter fides fiat, pleroſque Superiores Jeſuitarum (in nonnullos enim talis non cadit ſuſpicio) duplicem ut veſtem, ſic etiam Regulam habere, aliam domeſticam & privatam aliam forenſem & publicam, Introrſum turpes, ſpecioſos pelle decora: quomodo de Phariſæis Chriſtus teſtatur: ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia: ſic & vos à foris quidem parêtis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis Hypocriſi & iniquitate. Quod non vereor, ne invidioſius, quam verius in eos dictum putet, qui meminerit, ipſum Claudium Aquavivam diſertim Superiorum pleriſque Auliciſmi Sæcularitatis & Hypocriſis dicam inpingere, qui ſpecie Dei gloriæ & ſaluti proximorum inſerviendi quærant ſemetipſos. Hic ergò mandatorum Commētarius pro illo (ſi fas eſt.) Depoſito haberi poteſt, cuius ita Paulus meminit: O Timothée, depoſitum cuſtodi: & quæ audiſti à me, hæc fidelibus hominibus commenda.

I. *Qualem ſe Societas præſtare debeat, cùm de novo accipit loci alicuius fundationem?*

Ut ſe gratam & acceptam præbeat Societas incolis loci, quem non ita pridem ſuſcepit: multum ad hoc conducet explicatio finis Societatis, præſcriptus in Regula ſecunda ſum-

 marij,

marij, incumbere in ſalutem Proximi æquè ac ſuam. Quare humilia obſequia obeunda, in Xenodochiis, & fimo jacentes inviſendi: ad Confeſſiones excipiendas quorumcunque, etiam ad loca diſtantia eundum: Eleemoſynæ conquirendæ, dandæque pauperibus, aliis videntibus ut ædificati facto noſtrorum, ſint in nos liberaliores. Modeſtiam exteriorem ita omnes ediſcant, ut illa alios ædificent. Delinquentes è noſtris vel ob id dimittantur.

2. *Quid facto opus ſit, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?*

Conatus ad id maximi ſunt adhibendi. Experientia docuit, Principes tunc affici ſpiritualibus & Eccleſiaſticis perſonis, quando odioſa facta eorum non aſperè reprehenduntur, ſed in meliorem partem explicantur. Cernitur id in Matrimoniis contrahendis Principum, cum ſibi affinibus, quæ matrimonia magnam habent difficultatem, ob vulgi opinionem, quod tales exſecratur thoros. Itaq; dum hæc & ſimilia affectant Principes, animandi ſunt, aſſecuturos eos, quod volunt. Explicentur rationes, quæ eorum deſiderium augeant: videlicet, Matrimonium hoc fore cauſam majoris vinculi, & gloriæ Dei. Sic, dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus Dynaſtis gratum: (Verbi gratia ſi bellum movere vult:)

tunc

tunc eius voluntas juvanda, & conſtantiæ monendus promovenduſq; animus. Primoribus Regni inſinuent perſuadeantq; Principis voluntati parendum eſſe: non tamen ad particularia deſcendant, ne nobis imputetur. Si tamen obiiciatur: citentur generalia monita id nobis prohibentia.

Juvabit ad contrahendam familiaritatem Principum, obire legationes in materiis ipſis gratis. Per munuſcula vincendi intimi Principum: ut fideliter inſtruant noſtros, de moribus & humoribus Principis, quibus rebus oblectetur, quis ſit ſibi modus placendi: ſalvo tamen jure virtutis & conſcientiæ. Et occaſione habita, inſinuent ſe in animos Magnatum & Principum. Si careant uxoribus, proponantur illis Virgines in matrimonium, quæ cum ſuis parentibus, noſtris ſint addictæ: ijſque Virgines depingantur laudum coloribus, quibus eas depingi vellent ipſimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, aliâs alienos, nobis amicos reddamus. Docuit id experientia, per Domum Auſtriacam, in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæteriſq; Ducatibus & ditionibus.

Fœminæ ne mutent animos, aut de ſuo favore in nos remittant: feriò illis inculcetur amor in noſtram Societatem, tùm per noſtros, tùm per eas Famulas, quæ noſtris ſunt addictæ: quæ variis officiis,

& munuſculis in amicitia conſerventur. Sic enim ſecretiora ſuæ Dominæ, & ea quæ noſtros ſcire oportebit, evulgabunt.

Sequantur, in conſcientiis Magnatum regendis, eorum Authorum ſententias, quæ liberiorem faciunt conſcientiam, contra Monachorum opiniones: ut illis rejectis, noſtros ſequantur, & à noſtra directione & conſiliis dependeant Quare, tàm ad Principes & Magnates, quàm Prælatos conciliandos, juvabit, eos facere participes meritorum noſtri ordinis: habere amplas facultates, abſolvendi à peccatis reſervatis & cenſuris, diſpenſandi in jejuniis, debito reddendo, matrimonii impedimentis, & aliis votis. Invitentur ad Scholas noſtras; ſalutentur carminibus: inſcribantur illis Theſes: ſi expedit, in triclinio tractentur: & ſi quæ qualitas perſonæ expoſcat, variis linguis ſalutetur, tempore menſæ, à noſtris fratribus.

Inimicitias inter Magnates componant. Quod ſi Monarchæ, nobis addicto, ſubſerviat Vir aliquis primarius, à nobis alienus: promittatur ei favor, & honores conferendi, ad noſtrorum inſtantiam. Denique ita Societati avent affectos eſſe Principes, & magnos Dominos, tùm Prælatos; ut pro eâ contra affines, & ſibi charos agant, ne dimiſſos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores Primatibus ominentur; delatos

gra-

gratulentur, libellis carminum, per ſtudioſos, in primo ingreſſu loci, ubi exercenda erit juriſdictio.

3. *Quid curaturi ſint Domini pro nobis, dum pecunia deſtituuntur; multa tamen ſunt authoritatis in Republica, & aliis modis nobis prodeſſe poſſunt.*

Tales Domini ſi ſæculares ſint: curanda apud ipſos gratia & auxilium contra Adverſarios noſtros, favor ad lites forenſes, authoritas & potentia ad coëmtiones pagorum, domorum, hortorum, lapidearumque pro exſtruendis Societati noſtræ domicilijs, in illis præſertim civitatibus, quæ noſtros nolunt habere. Iidem Domini conciliandi, ut mitigent, imò compeſcant furorem hominum noræ inferioris, nobis nihil cooperantibus.

A Spiritualibus verò, (ut Epiſcopis, Archiepiſcopis) pro diverſitate nationum, id exigendum, quod rei opportunitas oſtendet. In quibuſdam partibus curandum eſt, ut Prælati, & Parochi ipſis ſubditi, noſtros revereantur, nec impediant miniſteria noſtra: in aliis partibus plus. Nam in Germania & Polonia, Epiſcoporum magna eſt authoritas: qui parvo labore, cóllata re cum Principe, Monaſteria, Parœcias, Præpoſituras, Altarium fundationes nobis poſſunt attribuere, contentatione quacunque facta Sacerdotibus

ſecularibus. Quod in ijs locis aſſequi poſſumus, ubi Catholicis Hæretici & Schiſmatici ſunt permixti. Oſtendaturque Epiſcopis, magnum fructum eos hac ratione facturos, quem à ſecularibus Sacerdotibus & Monachis præter cantum, expectare non poſſunt. Laudetur Zelus eorum: inculcetur facti memoria perpetua. Tales autem fundationes, ut Societas ſuccedat in beneficia ſecularium Sacerdotum, per eos Epiſcopos aſſequentur facilè, qui & confitentur noſtris, & à directione noſtra pendent, & ſunt in expectatione ad altiores gradus Epiſcopatus opulentiores mendiantibus noſtris.

Tàm autem apud Epiſcopos, quam Principes curent noſtri, ut dum fundant noſtra Collegia ad parochiales Eccleſias, noſtri quoque ſoli ſint, qui habeant jus conferendi Vicarium perpetuum, cum cura animarum. Ipſe ſuperior loci, pro tempore exiſtens, erit Parochus: totumque regimen Eccleſiæ noſtrorum ſit. Per eoſdem curabunt exſtructiones Collegiorum in locis, ubi ſunt Academici, nobis repugnantes, vel Catholici, aut Hæretici cives, fundationes nobis in ſuis civitatibus prohibentes. Illi iidem curabunt pro nobis Cathedras concionatorias, in Civitatum nobiliorum præcipuis Eccleſiis.

Si quando agitur de beatificando aut canizando noſtro; Magnatum Liberis promo-

vendum erit negotium, apud ſedem Apoſto-licam. Si ex iiſdem Dominis contingat legationem obire; ne cogniti aliis Religioſis, qui nobiſcum ſymbolizant, ad eos affectum transferant, & in eas Provincias inducant, in quibus eminemus. Quae ſi tranſeant Viri illuſtres per Provincias, ibi ſunt noſtri, excipiantur ad Collegia, & pro modeſtia religioſa tractentur.

4. *Quæ commendata eſſe debeant Concionatoribus, Confeſſariisq; Principum & Magratum?*

Ut directiones Regum, Principum, Virorumq; illuſtrium, rectè per noſtros inſtituantur: omni modo ita eos dirigant, ut ſua directio tendere videatur ad conſcientiam, quam ipſi Principes concredunt. Non ſtatim autem, ſed ſenſim, ſpectare debet directio, ad gubernationem politicam externam. Quare ſæpè inculcent Principibus, diſtributionem honorum & dignitatum in Republica, ſpectare ad iuſtitiam: graviterque Deum offendi, ſi contra eam à Principibus peccetur. Se tamen nolle, dicant, ingerere in ullam adminiſtrationem Reipublicæ, & hæc ſe invitos dicere, ratione ſui officii. Quod ubi apprehenderint Principes: explicetur ipſis, quibus virtutibus præditi eſſe debeant viri, aſſumendi ad dignitates Reipublicæ. Commendationis capita ſumantur ex amicis Societatis noſtræ, & ijs Viris, quos expedit pro bono

Societatis promovere: quos per ſe non nominent Principi, ſed per intimos amicos Societatis noſtræ, & Principis. Quare confeſſarii & Concionatores informentur à noſtris, qui in quavis parte illius Domini ſint Viri, qua virtute, potentia, divitiis, liberalitate in nos. Horum nomina apud ſe habeant, notitiamque eorundem faciant Principi, dextrè eos commendando: ut faciliùs oblata occaſione promoveantur à Principibus illi, quos olim ſibi laudari, à ſuis Confeſſariis & Concionatoribus audierant.

Meminerint Confeſſarii, & Concionatores Principum, ſuaviter eos tractare, nulla ratione perſtringere in concionibus aut privatis colloquiis. Confectiones, aquas diſtillatas modicè accepten: pro uſu privato, parva pecunia ſint contenti. Dum ſunt in Palatijs ad abjectiora ſe cubicula conferant. Prudenter inculcent ſuis Principibus, ne vel lato ungue diſcedant à conſilio ſpiritualium Patrum. Curent ſibi ſignificari quàmprimum Officialium Reipublicæ mortem: & de ſubſtituendis maturè agant. Ut ſuſpicione ſe eximant externi regiminis: nec Amicorum cauſas apud Principes promoveant per ſe, ſed alijs potiùs committant.

5. *Quid agendum cum Religioſis, qui ſymbolizando nobiſcum, in multis occupationibus, multum nobis detrahunt?*

Genus humanum nobis animoſè ferendum.

dum. Proinde inculandum hominibus, noſtrum Ordinem omnium religionum habere perfectionem. & in quo aliæ religiones excelſunt, in eo, eminentiore modo, Societatem lucere in Eccleſia Dei: præter cantum & victus aſperitatem: (quibus diſcrepamus à Monachis:) omnia in Societate melius haberi, ipſa etiam ſubjecta. Notentur defectus, ex quibus oſtendatur, minùs feliciter alios Religioſos ſatisfacere poſſe illi occupationi in qua concurrunt nobiſcum. Maiore conatu eundum eſt contra illos Religioſos, qui Scholas erudiendæ juventuti inſtituere vellent, in locis, ubi id cum dignitate & fructu Societas noſtra obit. Oſtendatur Principibus, tales homines fore perturbationi Reipublicæ. Proponatur Academicis externis, illos Religioſos magis quàm nos fore ipſis in ruinam. Suggerant Principibus, ſufficere Societatem erudiendæ juventuti. Quod ſi literas Pontificum pro ſe habeant, aut Cardinalium commendationes, agant per Principes apud Pontificem, cui oſtendatur, Societatem benè fungi ſuo munere. Procurabunt teſtimonia à Civitatibus, in quibus ſua Collegia habent, bonæ converſationis. His etiam diligenter perſuadendum erit, timendas perturbationes, acceſſu diverſarum Scholarum, & Præceptorum. Eſto; Religioſi ſint: interim no-

ſtri.

ſtri pro viribus curent ſtudia exerceri & ſpecimina edi, cum applauſu aliorum.

6. De conciliandis Viduis opulentis Societati.

Deligantur ad hoc opus provectæ ætatis Patres, colore vivido. Viſitentur crebrius eædem à noſtris. Quæ affectum oſtenderit in Societatem, Viciſſim Societatis noſtræ opera ei offeratur. Si acceptat, cæperitque frequentare noſtras Eccleſias: detur ei talis Confeſſarius, qui dam benè dirigat, & conſtantem in viduitate conſervanda faciat, enumerando bona viduitatis, quibus meritum amplum ſit obtentura. Ut res tota melius illi cedat: comitatus famulorum diminuendus ſuadeatur: ordinentur Officiales aulæ, & Præfecti bonorum: præſcribantur, quæ ſpectant ad gubernationem domus, habita ratione loci & perſonæ. In primis autem efficiat, Confeſſarius, aut eius conſiliis acquieſcat Vidua, & directionum ſequatur, tanquam fundamentum futuri boni ſpiritualis. Proponatur uſus Sacramentorum frequens, auditio Sacri, recitatio Litaniarum. Exhortationes ſint bis vel ter in hebdomada, de bono viduitatis, de moleſtiis matrimonii iterati, periculiſq; noviſque gravaminibus ejusdem. Facetè proponat Viros nobiles, quorum illa Vidua, cum qua agitur, non abnueret connubium: iidemdem Viri ita deſcribantur, declarando mores

& vitia

vitia ipſorum, ut audiendo Vidua nec cogitationem aſſumat de matrimonio. Proinde, cum ſint ita affectæ erga Viduitatis ſtatum, quàm primum eis commendentur vota religioſa: ut emiſſo voto caſtitatis, omnem ſibi aditum præcludant ad ſecundas nuptias. Quo tempore maximè ſuadendum, ut ex aula abigantur juvenes liberiores in jocis: pauci admittantur hoſpites, in iiſque tractandis mediocritas. Præfecti pagorum, Sacellani, alij officiales, tales ſint, qui aut ex noſtrorum commendatione habeantur, aut à noſtrorum nutu dependeant. Hucubi progreſſum fuerit, paulatim ad bona opera inducenda erit Vidua: quæ tamen præſtabit, & directione Patris ſui ſpiritualis.

7. *Quis modus conſervandi Viduas in viduitate & de diſpoſitione redditSuum, quos habent.*

Si, prærer communem affectum, teſtetur Vidua Clenodiis, aut pecuniæ non modica ſumma ſuam in Societatem liberalitatem, fiat particeps meritorum Societatis noſtræ. Si emiſit votum caſtitatis; renovet illud, more noſtro, bis in anno. Exponatur ordo noſtræ Societatis domeſticus: qui ſi placuerit, præſcribatur pro aula. Indicantur confeſſiones menſtruæ, tùm pro feſtis

Chriſti

Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Apoſtolorum. Conſtituantur Syndici inter mares & fœminas, qui defectus notent inter aulicos & famulas, referantque Magnificæ. Interdicantur nutus, ſuſurri, clandeſtina colloquia: delinquentes ſeverè caſtigentur. Sint in aula honeſtæ puellæ, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis, ſe in pietate exerceant: ſupra ſe habeant manuductricem, quæ laborantibus attendat. & mores edoceat. Viſitentur Viduæ crebrò, & jucundis Colloquiis, ſpiritualibus tamen, conſerventur & foveantur. Non tractetur rigidè cum ipſis in Confeſſionibus: niſi tunc, quum minor eſt ſpes aliquid ab eis accipiendi. Proderit quoque ad conſervandas Viduas, ſi pleraque fiant in gratiam Viduarum: ut ingreſſus in ædes noſtras, colloquia, quando & cum quibus placet è noſtris. Non permittantur in frigoribus domo exire, aut dum ſe deterius habere ſentiunt. Nuptiæ filiarum exornentur carminibus ſtudioſorum externorum. Si exſequiæ peragendæ ſunt, ornatus lugubris, licet ſplendidus, tamen adhibeatur: cenotaphij non ſit vulgaris ſtructura. demùm, quicquid fieri poteſt ad Viduarum ſenſualitatem, (modò ſint liberales, & addictæ intimæ Societati) fiat, cautè tamen & ſecluſo ſcandalo.

Agendo de diſpoſitione reddituum, quos habent Viduæ, proponatur ipſis illa perfe-

ctio laudata ſtatus hominum ſanctorum: quando, neglectis amicis, ſua bona in Jeſu Chriſti pauperes erogant: adducantur exempla Viduarum, quæ hac ratione brevi in ſanctas evaſerunt.

Quare, dum ſe viduæ in noſtras manus reſignant, paratæ ſequi directionem Patris ſpiritualis, ſeriò inculcetur, ut mâjoris meriti ſint illarum actiones coram Deo, ne religioſis quidem perſonis dent eleemoſynas, inſcio Confeſſario, ſed adnotatis iis, quæ ſe daturas alicui decreverunt, ſchedulam exhibeant Confeſſario, qui detrahere aut addere poteſt, pro ut videbitur. Caveant Confeſſarij frequentem aditum aliorum Religioſorum ad Viduas: ne poſt ſe fœminas, natura inconſtantes abducant.

Dum multa eſt pecunia ex bonis collecta; ne hinc moveantur Viduæ ad ſecundas nuptias: proponant Confeſſarij, imò ſuadeant, ordinarias penſiones, quibus ſublevent neceſſitates, ſingulis annis, noſtrorum Collegiorum, & Domorum profeſſarum; præcipuè Domus profeſſæ Romanæ. Eandem pecuniam impendere poſſunt in caſulas, & paramenta templi, quæ pro noſtris ſacris ædibus ſervire poſſunt poſt mortem Viduæ. Exponantur defectus Eccleſiarum noſtrarum coram Viduis, ſtructuræ imperfectæ Collegij. Inducantur ad ſumtus faciendos pro rebus

per-

perpetuam eis gloriam conciliaturis, ut ſunt templa, cibaria, ædificia, quæ conſulto citò conficiantur: ut habeant, in quod ſuam liberalitatem poſſint exercere. Id ipſum faciendum cum Benefactoribus & Principibus, qui nobis aliquid ſumtuoſè exſtruunt. Si clenodia ſint; ſuadeatur, æternitati ea conſecranda, ſi dentur à Viduis ad ſepulchra noſtrorum Beatorum Romam.

Comprobetur id exemplis aliarum Matronarum, quæ id præſtiterunt. His cauſis oſtẽdetur, illis ſummam perfectionem aſſecuturas, dum rerum terrenarum amore ſe exuendo, earum Chriſtum Dominum in ſervis Societatis ſuæ, poſſeſſorem inſtituerint. Quod ſi filios & filias Dei obſequio dicare voluerint, non eſt liberalitas earum ſpernenda, accipiendo quæ offerentur: parcius tamen ab ijs Viduis accipiendum, quæ filios & filias ad ſeculum dirigunt.

8. *De remediis, ut filii & filiæ noſtrarum devotarum religioſum amplectantur ſtatum.*

Suaviter & fortiter id Matri viduæ peragendum. Filiabus moleſta ſit virgis, minis, abſtinentiis: aſperius tractando, denegando ornatum muliebrem exquiſitum, pollicendo majorem dotem, ſi velit eſſe monialis. Exaggeret illa futuri mariti furores, gravamina

ma-

matrimonii: præ ſe ferat mater ipſa dolorem, ſe non fuiſſe monialem: demum ita agat contra filias, ut tædio victæ manendi apud matrem, adſpirent ad monaſterium.

Cum filiis converſentur noſtri familiariter. Accipiantur ad Collegia: in quibus illa oſtēdantur ipſis, quæ moveant ad ingrediendam noſtram Societatem: ut ſunt Horti vicini Collegiis in quibus fiunt recreationes.

In Refectoriis oſtendatur munditîes & exterior converſatio inter noſtros: munuſcula, faceta colloquia, ad Spiritum tamen, non omittantur. Sint, penes tales Viduarum filios inſtructores amiciſſimi nobis, imò futuri de noſtris. Subtrahat mater filiis neceſſaria ad tempus modicum: exponat intricata negotia, ex parte bonorum. Si ad alias provincias iverint, ſtudiorum cauſa, ibi illos mater non delicatà tractet pecunia: ut tædio victi in exteris nationibus religionem ingredi ſeriò meditentur.

9. *De Redditibus augendis Collegiorum.*

Seriò inculcetur Confeſſarijs Principum, Magnatum, & Matronatum, ut dum ſpiritualia illis conferunt, temporalia, pro bono

com-

communi Societatis ab eiſdem recipiant. Quocirca non omittant occaſiones acceptandi, dum aliquid offertur: & ſi differatur, in memoriam revocent nimium affectum minimè præ ſe ferendo. Qui ex Confeſſarijs minus induſtrij in hac re erunt, tamquam bono communi minùs affecti, amoveantur à Principibus, domique exagitentur. Magno dolore audivimus, juvenes Viduas, morte immatura præventos, culpa noſtrorum, ſuppellectilem templi multùm precioſam noſtris non legâſſe; neque acceptâſſe, dum ſuperſtites Viduæ offerrent; cùm ad talia acquirenda, non tempus, ſed voluntas offerentis, ſpectari debeat.

Adeant Civium domos, aulas Nobilium, nec non Viduarum: ex quibus omnibus perquirant prudenter, num pro animæ ſuæ bono, vel ipſi, vel aliorum Amicis aut Affines, Eccleſijs aliquid ſint legaturi.

Idem perquirendum à Parochis & Prælatis, qui prius inducantur, ad officia ſpiritualia facienda: pro tempore multa noſtri poſſunt lucrari.

Apud hos omnes ſtudeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem Societatis, & fidelem exſecutionem, ratione locorum, quæ accipiunt à benefactoribus, ſecus quàm alij ſeculares Sacerdotes & Monachi. Habeant notitiam hortorum, lapidearum, Vinearum,

rum, civitatum in quibus reſident, pagorum, prædiorum, à quibus poſſeſſoribus, quibus contractibus, cum quibus gravaminibus, teneantur: & num illa bona, vel per contractus, vel receptionem filiorum in Societatem, aut donationem; habere poſſint, experiantur.

De votis & devotabus Societatis noſtræ, quandoque bona ſua, Collegio vendant, cum pacto, quod poſt breve temp⁹, Societas gratis eadem ſit ab ipſis receptura. Si viduas addictas contingat habere tantum filias: eas dirigant ad religionem Moralium, dote quacunque eis datà. Cætera, uti pagos, clenodia, totamque poſſeſſionem, noſtri facilè lucrabuntur. Si autem tantùm unum filium, aut plures, Vidua Societati noſtræ amica habuerit, nullaque ſpes ſit filios vel filium fore in Societate: indicetur Matri, ſufficere, ſi integras poſſeſſiones filiis vel filio relinquat, ac collectam pecuniæ ſummam, ad ſuam propriam dotem, poſſe legare Societati. Accidit, Viduas eſſe unius aut alterius pagi, ad pietatem propenſas, Societatis ſtudioſiſſimas: hæ inducantur ad inſcribenda bona noſtris Collegiis, ipſæ interim contentæ ſint annuam ſuſcipere contentationem: Ut Deo commodius vacent, cura rerum temporalium liberæ.

10. *De Diſciplinæ rigore oſtendendo in Societatē.*

Teſtabitur diſciplinæ rigorem, eiicendo à nobis, quandocunque videtur Societati. Eſto ſint cuiuſcunque conditionis & ſtatus, ſenes, juvenes, conſumſerint ætatem & vires, morbo calculi, & alio quocunque poſtquam ingreſſi ſunt Societatem, affecti fuerint. Cauſæ (præter cauſas reſervatas, ob quas, pollutione excepta, licita erit dimiſſio) hæ erunt ejectionis: ſi devotas noſtras, & amicos Societati utiles, ad alias religiones dirigunt, aut Parentibus indicant, ſive illis à quibus impediuntur, ne ingrediantur Societatem: ſi in reſignatione bonorum, erga conſanguineos affectum oſtendunt, non dando totum Societati. Prius tamen tales, per aliquot annos in Societate mortificentur. Fratres in officiis vilibus ponantur: detineantur in Scholis inferioribus, ut ibi doceant: altiora ſtudia, præcipuè quartus, Theologiæ annus, non concedatur. Capitula frequentiùs, tempore menſæ, dentur. Patres prohibeantur à confeſſionibus excipiendis: arceantur à converſatione externorum: accipiantur res charæ ex cubiculis: frequentes pœnitentiæ publicè aſſignentur.

Hinc erit facilè progredi ad dimiſſionem. Si tales perſonæ, notatæ in ſupra dictis vitijs, conquerantur coram Provincialibus, de immode-

moderatis ſuperioribus aut officialibus : non credatur facilè, excuſetur factum, dicatur teneri eos obedire ubicunq; non eſt peccatū.

Non ſint ſcrupuloſi in dimiſſione Superiores. Cùm enim ordo noſter gaudeat nomine Societatis & Sociorum : non mirum, Societati annexam eſſe dimiſſionem. Nam Societatis, & ſociorum vincula facilius ſolvuntur, neque ſunt perpetua. Dimiſſio cæpit cum inſtituto Societatis.

Id evidenter ex eo patet · quia Societas habet vota ſimplicia, pro Scholaſticis, Coadiutoribusque formatis : quæ vota non habent mutuum contractum, ac ſi Societas habeat obligationem, perſonas cum talibus votis in Societate retinendi ſemper. Id autem nequaquam eſt: tantùm enim obligatio cadit in voventem, non in Societatem, quæ poteſt cum talibus votis quoſcunque dimittere, quando & quacunque de cauſa ſibi videbitur. Licet autem in Societate, alij faciant profeſſionem quatuor votorum, alij trium votorum ſolemnium, more aliorum Monachorum, tamen & tales à Societate dimitti poſſunt.

11. *Qualiter ſe unanimiter præſtabunt noſtri contra dimiſſos?*

Quoniam tales multum obeſſe poſſunt Societati : proinde obvietur his modis.

Antequam è Societate dimittantur, promittant, eiuſque rei teſtimonium relinquant, ſe de Societate nihil ſiniſtri dicturos. Præcludant aditum dimiſſo, ad eos ſpirituales & ſeculares dominos, quorum ipſe aucupari poſſet gratiam, ibique habere locum. Dicantur malæ eius inclinationes, vitia, defectus, quos de ſe, in manifeſtatione conſcientiæ, aliquando Superioribus aperuerat, & juxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc viri ſuo. Quod ſi erunt Domini noſtris non addicti: per Viros graves nobis addictos, curetur impediri favor dimiſſo, apud eum, qui non eſt aff. ctus nobis. Et ſi non poteſt induci, ad avertendum animum à dimiſſo, ſaltem inducatur ad non faciendum ex omni parte. Scribatur per Collegia, quinam ſint dimiſſi; & cum exaggeratione, cauſſæ dimiſſionis proponantur. De dimiſſo in exhortationibus dicatur, quod iterum ardenter petat ingredi Societatem. Externis inſinuentur cauſæ dimiſſionis illæ, obquas vulgus nos odio habet: ſic enim plauſibilior erit dimiſſio quorumcunque.

Si dimiſſus habeat creditum, contra nos dicendo: obvietur huic rei per noſtros graves Viros, qui dictis dimiſſi opponant authoritatem Societatis, famam, fructum quem facit in Eccleſia Dei, bonam exiſtimationem Vitæ & doctrinæ, ob quæ Regibus, Principibus

bus & Magnatibus , ſunt à confeſſionibus concionibuſque ; explicent Zelum noſtrum in Proximos, multò magis in unumquemque hominem Societatis ſuæ. Inviteutur ad prandia illi, apud quos dimiſſus videtur habere partes : quibus perſuadendum eſt, ne faveant dimiſſo, & teneri eos præſumere pro religione. Quo tempore cauſas dimiſſionis exponant, omnem eis probabilitatem oſtendendo, & defectus dimiſſi omnes enucleatè exponendo, nihil omittendo.

Eſto dubia aliqua ſint : caveant dimiſſos promovere ad ulla beneficia eccleſiaſtica, niſi aut dederint non modicam pecuniam, aut ſua bona inſcripſerint, aut ſingulari modo teſtati fuerint, ſe eſſe amicos Societas. Id etiam Principi & Regi perſuadeant confeſſarij ut collaturi alicui honores, argumentum accipiant eius ex liberalitate & bono affectu ejus in Societatem noſtram, fundando ei Collegium, aut quid ſimile ei præſtando.

Si contingat dimiſſos habere favores hominum; diligenter inquiratur in vitam ipſorum, & mores ac defectus, per amicos & devotas noſtras O dinis inferioris divulgent. Ipſæ ne dimiſſis faveant, aut apud ſe conſervent dimiſſos, terreantur cenſuris : negetur abſolutio ſi ſint pertinaces. Laus dimiſſi extenuetur, argutis propoſitionibus ambiguiſque, ita tamen, quod poſſint avertere ani-

 mos

mos hominum à dimiſſo, ut ejus fidem minuere Succeſſus mali, qui accidunt dimiſſis, evulgentur cum magna commiſeratione, in exhortatione, ut reliqui terreantur, & vel inviti maneant in Societate.

12. *De delectu Iuvenum pro Societate, modoque eos retinendi.*

Summa arte & induſtria opus eſt, ut recipiantur Iuvenes ingenij boni, forma non contemnenda, genere nobiles, & opulenti. Ut tales pertrahantur, oſtendatur illis favor à Scholarum Præfectis; non permittantur vexari à Præceptoribus: laudentur crebrius: dentur ipſis munera: accipiantur ad veniam, tractentur fructibus: in ſolemnitatibus accipiantur ad Refectorium. Cum aliis ad virgas deſcendendum, obiicienda crimina ex aliquibus conjecturis, iratus vultus oſtendendus, acrius compellandi ac reprehendendi: juvenilis ætas ad omnia mala quod ſit in illis proclivis, oſtendatur; niſi religioſi fiant, damnatione æterna terrendi. Dum in Societatem admitti petunt, non ſtatim admittantur: differantur ad tempus; interim foveantur: in colloquiis, commendetur illis ſuave inſtitutum; Ita enim magno deſiderio creſcente alacrius inſtabunt admitti.

Et ſi voluerit poſtea exire aliquis ex talib⁹, revo-

revocetur illi ardens ſtudium quo ingreſſum in Sotietatem urgebat.

Quoniam verò maxima eſt difficultas, in alliciendis Senatorum filiis, & hominum ditiorum in Patria: ſi tales ſint, mittantur Romam ad Novitiatum: prius tamen præmoneatur de ipſis Generalis, aut Provincialis Romanus. Quod ſi in Germaniam, Galliam, Italiam venerint, & Societatem affectaverint: ſine ſcrupulo ſuſcipiantur in illis dominijs, in quibus Monarcha Societati eſt addictus. Sub tali enim Domino hæc & ſimilia erunt peragenda: ſiquidem illius Subditi, cum noſtro favore indigeant, non facilè contra nos inſurgent, & ſi inſurgant nihil lucrabuntur.

Non omittantur occaſiones inducendi filios eorum, qui ſtudiorum cauſa ad noſtra gymnaſia ex aliis Provinciis, veniunt, maximè tunc, cùm incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amiſſæ pecuniæ, partim metu Parentum aut Affinium, ob moleſtias, quas timent, induci ſe ſinunt. Res habuit bonum ſucceſſum in Germanis & Polonis.

Inconſtantiæ occurrendum, pro qualitate perſonæ, exhortationibus de malo ſucceſſu dimiſſorum. Ut verò Parentes & Affines ingredientium ad nos ſint contenti: oſtendatur excellentia inſtituti noſtri, & tantus applauſus Mundi: & honor qui defertur à Principibus Societati.

Inſinuent ſe in intimam familiaritatem ipſorum, reddantque eos contentos: ſi id neceſſitas & perſonæ dignitas poſtulabit.

13. *De Monialibus.*

Caveant offendere Moniales noſtri Confeſſarii: cùm tantæ ſint benefactrices: ut aliquæ fundationem juverint Collegiorum, plurimæ mediam dotem dederint, annuente Monaſterio & Abbatiſſa. Quare ob clauſuram, non eos moleſtent: relinquant Epiſcopis. Conſervent potius favorem Monialium: ne contra nos agant ob dimidiatas dotes, easque exprobrent noſtris datas.

14. *De Caſibus reſervatis & cauſis dimittendi à Societate.*

Præter caſus deſcriptos in inſtructione, à quibus ſolus Superior abſolvet, aut ordinarius Confeſſarius ex ejus licentia (hos caſus videlicet, Sodomiam, fornicationem, adulterium, ſtuprum, tactus impudicos maris aut fœminæ: & ſi quis quacunque ratione moliatur contra Societatem, qualicunque Zelo) ſciant eſſe cauſas dimiſſionis à Societate: nec prius abſolventur, quam extra confeſſionem promiſerint, ſe id manifeſtaturos, per ſe, vel per Confeſſarium, Superiori. Qui ſi advertet, peccatum eſſe cum complice, aut in grave damnum Societatis: non abſolvet, niſi

pœnitens promittat, aut ſeipſum ſcripturum hac de re Generali, aut dederit facultatem ſcribendi Confeſſario, aut Superiori, de tali cauſa. Aliâs nullo modò abſolvet pœnitentem. Generalis verò, caſu pœnitentis cognito, recollata cum Secretario, de caſu pœnitentis id concludet, quod pro Societate expedire videbit, & tali pœnitenti dimiſſionem ex Societate aſſignabit. Quam ſi acceptare voluerit: nunquam validè poterit abſolvi. Id faciendum concluſimus cum Theologis noſtris, in caſibus reſervatis & approbatione ſedis apoſtolicæ, fruſtra quibuſdam repugnantibus. Taceat tamen Confeſſarius, ob id dimittendum à Societate pœnitentem. Si dixerit de ſe pœnitens extra Confeſſionem, dimittatur. Si dicere noluerit: Servetur cum ipſo illa ordinatio ſcripta contra fictos, Interim tamdiu non abſolvatur, quamdiu noluerit dicere extra confeſſionem.

Si aliqui ex Confeſſariis noſtris audierint, aliquam externam perſonam, cujuſcunque Sexus cum homine Societatis rem turpem habuiſſe: non eam prius abſolvent, quam extra confeſſionem dicat noſtrum. Et ſi dixerit, dimittatur noſter; externa perſona abſolvatur.

Si duo ex noſtris Sodomiam committent: qui non manifeſtabit, dimittatur: qui prior manifeſtabit, retineatur in Societate, ſed ita

 morti-

mortificetur, ut (velit nolit) poſt parva interjecta morâ, aliam ſequatur.

Poterit etiam Societas, cùm ſit corpus quoddam, his de cauſis, ſe exonerare perſonis, ſi ſucceſſu temporis eos deprehenderit eſſe craſſos in moribus & loquelâ: imò quaſcunque viderint ſuperiores cauſas, Generali monito, quemlibet à Societate dimittent. Ut citius dimittantur, vexentur, fiant omnia contra inclinationes eorum: negentur quæ petunt, eſto res paucæ ſint: arceantur à ſtudiis majoribus: dentur ſub tales ſuperiores, de quibus non ſint contenti. Nec tales teneantur in Societate, qui vexati inſurgunt in Superiorem, de eoque coram fratribus conqueruntur, aut diſplicere ſibi dicunt, quæ fiunt in Societate, quoad Viduas in directionem Rerumpublicarum, laudantque Venetos à quibus pulſa Societas.

Immediatè, ante dimiſſionem acriter exagitetur dimittendus: amoveatur à certo officio, & nunc ad hoc, nunc ad illud officium obeundum, mittatur: interim reprehendatur, quod non bene faciat officium ſibi commiſſum. Pro luci exceſſu, duriores aſſignentur pœnitentiæ; ex cathedra, tempore menſæ, defectus recitentur, ita ut confundatur. Et per id tempus, dum notabilem impatientiam oſtenderit, alijs audientibus & videntibus, tanquam is; qui eſt aliis ſcandalo, dimittatur.

tatur, prius tamen res ejus revideantur; & aliquò jubeatur ire, ad vineam, vel vicinum Collegium, interim quo in loco minimè ſpectat, in eo dimittatur.

15. *Qui conſervari & foveri debeant ex perſonis Societatis.*

Primum locum tenent ſtrenui operarij, qui non modò ſpirituale Societatis bonum, ſed etiam temporale, promovent: ut ſunt opulentarum viduarum Confeſſarij, qui dum ad decrepitam ætatem accedunt, amoveantur à viduis, & alii ipſis, cum recentibus viribus & ætate ſufficiantur. His concedantur quæcunque petent in cibo, veſtitu aliiſque rebus, nec vexentur à Miniſtris pœnitentiis. Contra tales non ſint creduli Superiores.

Habeatur & eorum ratio, qui defectus minimos, in aliis notatos, Superiori deferunt; aut poſiti in officio Miniſtri, Subminiſtri, Bedelli, alios mortificare ſciunt, non ex affectu, ſed amore diſciplinæ religioſæ.

Foveantur Juvenes illi, qui ſunt affines noſtrorum Benefactorum, & Fundatorum, quare mittendi ad ſtudia Romam. Si ſtudeant in propria Provincia, concedantur illis ea, quibus foveri poſſint.

Fiat gratia illis etiam Juvenibus, qui nondum reſignationem bonorum fecerunt pro Societate: poſt factum, pane, non lacte, paſcendi.

Nec illi poſtremum locum habeant, qui multos ſelectos Juvenes ad Societatem inducunt, tanquam benè affecti inſtituto Societatis.

16. De Contemtu Divitiarum.

Ne nimium nobis affectum adſcribant divitiarum: juvabit, mediocres non admittere eleemoſynas, pro ordinarijs officiis, quæ fiunt à noſtris. Negentur ſepulturæ viles in templis noſtris. Cum viduis acriùs agant, quæ ſe exhauſerunt dando noſtris. Idem faciendum cum perſonis noſtris, qui pro Societate fecerunt reſignationem. Imò quando tales dimittantur, aut nihil eis reddendo, aut ſaltem benè detrahendo ob ſumtus à Societate eorum cauſa præſtitos.

Hæc arcana præcepta diligenter ſervent penes ſe Superiores, & paucis idque gravibus ea patribus communicent, ex iiſque inſtruant alios, quomodo ſerviant cum fructu Societati neque ut ſcripta ab altero, ſed ut ex peculiari prudentia deprompta, alijs communicent. Quod ſi (abſit) in manus externorum hæc monita veniant, quoniam ſiniſtrè ea interpretabuntur: negentur hoc ſenſu eſſe Societatis; per iſtos confirmando è noſtris, de quibus certò ſcitur eos talia ignorare. Opponantur his privatis monitis generalia monita, & ordinationes impreſſæ aut ſcriptæ,

his

his contrariæ. Demum inquiratur, annon ab aliquo è noſtris prodita ſint: (neque enim Superior ullus erit tam negligens, in aſſervandis tantis ſecretis Societatis) & ſi in aliquem vel leves erunt conjecturæ, illi imputetur, & ex Societate dimittatur.

Abdiæ I.

Quomodo ſcrutati ſunt Eſau, inveſtigaverunt abſcondita eius?
Qui comedunt te, ponent inſidias ſubter te.

DELICIARUM JESUITICARUM
Specimina.

Minimè temerarium eſt, quod Cardinalē Dietrichſtænium Religioſis *Clericis Scholarum Piarum* Roma Niclospurgum evocatis anno ſuperiore dixiſſe accepi, Jeſuitas quidem à ſe magnoperè contendiſſe, ut ſua potiùs, quàm Clericorum illorum opera, in docenda Niclоſpurgi juventute uti vellet, ſed ſe comperiſſe, illos nimis pretioſos eſſe operarios, cùm ſolæ eorum ſcenicæ actiones quotannis non minus quadringentis florenis ſibi auferant. Habemus enim ſummi & graviſſimi Jeſuitæ Johannis Marianæ confeſſionem, Societatis ſuæ homines piorum hominum eleemoſynas non modò commoditatibus, ſed etiam dubiis ſuis expenſas facere conſue-

viſſe, ut verè ſua facere poſſint hæc Senecæ verba: *Non neceſſitatibus tantùm noſtris proviſum eſt: usq; in delicias amamur.* Cæterum de Delicijs Mariana in Epilogo libri ſui de Morbis Societatis ita loquitur: *Multa ſunt noſtrorum recreationes, quæ alicubi multos menſes durant. Deliciæ nonnullorum ſunt nimiæ, eiſque nocent.* Hæc autem quàm vera ſint, etſi extraneis domeſtica Jeſuitarum negotia minùs patent (ſiquidem eodem Mariana teſte cap. 14. *Totum Societatis regimen videtur hunc habere ſcopum, ut quæ malè in ſocietate fiunt, injectâ terra occultentur, & hominum notitiæ ſubtrahantur*) triplici nihilominùs documento planum facere poſſumus. Paſſim quippè voluptati, quæ partim ex Muſica, partim ex actione Scænica percipitur, Jeſuitæ indulgent: al cubi verò, ubi Principes plus habent obnoxios, ferarum quoque Venatione otium ſuum oblectare ſolent.

Quod ad primum voluptatis & Deliciarum genus attinet, vix quiſquam eſt, qui Jeſuitas ita Muſicè vitam agere neſciat, ut ad Symphoniam non modò in templis ſacra faciant, ſed etiam in Scholis diſputent, in Scæna Mimos agant, in triclinio denique cibos ſæpè capiant. quod poſtremum ne cui inſolentiùs videatur, ejus exemplo uti libet, qui haud ſcio an omnes quot uſquam ſunt Jeſuitas multum ætate ſuperet, in Italia quidem

dem certè nemo eſt, qui ante illum ſe infibulari & in Societatem adſcribi paſſus fuerit. Is eſt Bernardinus Caſtronius, an Caſtorius, Senis in Hetruria circiter octoginta octo abhinc annis ex utero materno avulſi ſiniſtra effuſus *per actum inſani Leonis, Sole dies referente ſiccos.* quod eo tàm diſt nctè mihi commemorere viſum eſt, ne quis hominem præcipuè iracundum eſſe, quotidieque vel leviſſimas ob cauſas in rabiem efferari, ex eoque alligandum videri admiretur. Hic ſe veterem ſi minus Martyrii, ſaltem Patibuli Candidatum eſſe, terque paratum jam collo laqueum effugiſſe gloriatur: literis etiam ad ſummum virum Johannem Paſtorium datis ſic de ſe prædicare non dubitat: *Pro ſede Apoſtolica vincula & carceres paſſus quotidiè morior.* Societatis ſcilicet ſuæ Provincialem egit in Gallia, & domus Profeſſæ Præpoſitum Venetiis, quo tempore illinc Jeſuitæ publicè pulſi ſunt. Hoc illi meminiſſe quotidianæ mortis inſtar videtur. Sicut autem pleriq; Jeſuitæ operæ, quam Eccleſiæ navant, mercedem videntur in hac vita ſibi repræſentatam velle (nam quæ ulterius pertinent, in diem eſſe judicant, quod *de futuris contingentibus determinatam veritatem haberi* non poſſe docti ſint) ſimiliter & deſignatus hic Martyr noſter *manus occulatas habet, quæ credunt quod vident*, adeoq; longum nimis ei videtur expectare, donec in cœleſti regia cum Senioribus illis Apocalypticis conſidere,

ac

ac felicitatis eorum particeps fieri poſſit, ſed præſens Divus fieri, & vivus videnſque eadem illa, quæ pro Chriſto morientes manent gaudia, perfrui poſtulat. Illi autem cum Regno in alios potiuntur, tum Symphonia aures oblectant, tandem ipſi quoq; animi cauſa cantillant. Sic enim Apoc. 5. de illis legimus: *Seniores ceciderunt coram Agno, & cantabant canticum novum dicentes; Tu feciſti nos Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Et Apoc. 14. *Audivi vocem ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum novum ante Seniores & ante animalia.* Itaq; & noſter hic *Senior bullæ digniſſimus* Regnum in Collegio Germanico Romæ obtinet, & *Regnator* ſive *Rector* audit, iſq; Perpetuus, quippe cui Jeſuitarum Patriarcha Collegium illud in omnem vitam commendarit, ſive in Commendam dederit, eiuſq; libidini quoad vivet nec animam ebulliet permiſerit. Ditioni porrò ſubjectos habet illuſtres nobileſq; plurimos Germanicæ juventutis, gradui ac dignitati Principum imperii propè maturos, ſuorum certè votis deſtinatos. Fructus Collegii, qui annua vicena aureorum millia conficere creduntur, ex ſua libidine diſpenſat, neq; cuiquam niſi eidem Patriarchæ ſuo, hoc eſt e ſi verum quærimus, ſibi ipſi accepti expenſiq; rationes edit. Vinum potitat, præ quo nectar haud ſi nectar, ſaltem eius Collegii alu-

alumnorum judicio, quos fatuo palato eſſe non temerè cuiquam ſano perſuadebitur, Pane veſcitur candidiore, quam cerebrum Jovis. Carnes, piſces & reliquum obſonium quid cōmemorare attinet? Ipſe ſe, ſi vivat Apicius, aut Epulo dives ille, hoc victu minimè indelectari fateatur. Et adhuc jactare delirus ac minimi pretii ſenex audet, ſevincula & carceres paſſum quotidiè pro Apoſtolica ſede mori? Sed eſt hæc una ex ſolennibus ejus cantilenis, quarum argumentum eſt, quid ipſe ſciat, quid egerit, quid paſſus ſit, quanta ſit ejus apud Pontificem alioſq; Principes auctoritas, quanta potentia, quanta deniq; impudentia. nam & iſtam in laudibus ſuis numerat quippè qua ſe non ſemel pro ſapientia feliciter uſum meminerit. Ego (inquit apud alumnos ſibi commiſſos) nullius Cardinalium offenſam revertus ad ipſum Pontificem quoties velim irrumpo, apud quem *ut non quicquid ſplendida bilis juſſerit* evomam, & *acriter elatrem, pretium ætas altera ſordet.* Ego cui de eloquentia concedam habeo neminem, quippe qui ſeptem ipſos annos Rhetorica docuerim. Ipſi purpurati Præſules & Pontificum Nepotes ſæpè gratiam meam ambiunt, nec ſemper à me quod volunt auferunt. Quid mihi Bambergenſis Epiſcopus literas ſcribere dubitat, quaſi non à multò majoribus Principibus familiariter ad me ſcribi ſoleat? Scri-
be-

beret ſaltem Generali noſtro, qui tàm Princeps eſt, quàm ipſe. Jam duo vacuum in Germania Sacerdotium ambiunt, alter me ſuffragante, alter Imperatore. Videbimus nunc uter plus poſſit, ego an Imperator. Quid tu mihi literis Ferdinandi Archiducis moleſtus es, ijſq; fretus in Collegium Germanicum admitti poſtulas? quid ego Archiducem moror? quem ne ipſum ne quidem, ſi petat, admiſerim. Non minùs tamen Cantorem probum ſe præbet, cùm quis Horarias preces recitanti intervenit quodq; minus audire velit obloquitur. Tùm enim loco libri, in quo orare deſinit, ungue pollicis notato totas irarum effundit habenas, tamq; rabioſa voce delitigat ac bacchatur, ut orationis penſum jurgio, quàm precibus abſolvere malle videatur. Nullum quippe ſuavius ei eſt acroama, nulla cantilena delectabilior, quàm iracundiæ ipſius parens omnemq; bilem in alterum exonerans oratio. Eandem verò voluptatem ipſi præſtat malum carmen in eos occentatum, qui vel præ ſe ferre audent, ſibi Jſuiticam docendi rationem minus probari, vel aliquid in cujuſcunq; Jeſuitæ dictis, ſcriptis aut factis requirere non dubitant. Hos enim verò Caſtorius pro piacularib. ſacris & inteſtabilibus habet, neq; ei in eos palam mentiri, eoſq; ſceleratos, Hæreticos, peſtilentes, ipſoſq; Cacodæmonas dicere ulla eſt religio, etiamſi

ta-

tales ſint, ut eorum virtutes & erga Eccleſiam Dei merita ipſi Pontifex & Imperator, & optimus quiſq; ac maximùs cum voce, tum conſignatis tabulis prædicent, eoſq, benè audire ipſius Catholicæ religionis non minimum interſit. Iſta eum conſuetudine factitare, & maledicto fræna quotidiè laxare, Pater ſuus Generalis habet cogniriſſimum, quippini? cùm de intemperiis, furore, mendaciis, & ad conviciandum effrænatione eius vix quiſquam Romæ inveniatur, qui non inaudierit. Quamvis autem inter fidei Chriſtianæ capita ſit, *mendaces & maledicos regnum Dei non poſſeſſuros, nec dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum* cui conſequens eſt, ut Caſtorio iſti certus non arbitrario ad generum Cereris deſcendendum ſit, qui jam ad ipſos triginta quatuor annos alienam famam, & quidem eorum quorum virtus & pietas Eccleſiæ toti ſatis ſpectata eſt, quotidiè depeculetur, & & capitali eorum odio inflammatus quotidiè ſacra facere non dubitet, tantum abeſt, ut eum odii erga proximum pœniteat, deq; ſatis faciendo probroſiq; carminis recantandi cogitatio umquam ſubeat: quamvis etiã abeſſe non poſſit, quin univerſæ Societati nonnulla adſpergatur macula, cùm homines antiquiſſimo omnium Jeſuitæ animos tàm parùm domitos eſſe vident, ut bile & iracundia vel natos modò infantulos ſuperet maledicti verò exercitatione ne ullò quidem Hæretico.

tico, qui vel ſolutiſſimæ linguæ ſit, tantillum concedat: ex quo fieri porrò neceſſe eſt, ut tot illa pietatis, patientiæ, modeſtiæ humilitatis præcepta & exercitia, quæ in Societate vigere creduntur, ludibrio eſſe incipiant, quaſi quæ ipſis etiam Jeſuitis tàm veteranis, alterum pedem in cymba Charontis habentibus, tàm nulli prorſus uſui eſſe appareat. Hic enim locus eſt illis Senecæ verbis epiſt. 108. *Nullos peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui aliter vivunt, quàm vivendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſe ipſos inutilis doctrinæ circumferunt, nulli non vitio, quod inſequuntur, obnoxii. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm Gubernator in tempeſtate nauſeabundus.* In quam eandem ſententiam S. Gregorius Magnus *Nemo*, inquit, *in Eccleſia amplius nocet, quàm qui perverſè agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet* (id eſt, qui vel ipſe Sancti ordinis membrum eſt, vel ſanctus eſſe creditur.) *Delinquentem namq; hunc nemo redarguere præſumit, & in exemplum culpæ vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis* ſui aut nominis, quod habet, *peccator honoratur:* Hæc ergò quamvis ita ſint, & Caſtronium ſibi & alijs, præcipuèq; ijs, quibus præeſt, quiq; in exemplum ejus reſpiciunt, exitio eſſe probè Pater Generalis intelligat, nunquam tamen animum inducit, ut eum caſtiget aut emendet, turpiſſimamq; iſtam ira-

cun-

eundiam comprimere ac male dicendi licentiam fræno compeſcere, moribuſq; ſocio Jeſu & S. Ignati alumno dignis vivere doceat. Cuius quidem rei alia alijs cauſa videri ſolet. Sunt qui hac eum re ſatis excuſari putent, quod nemini eorum, quibus ipſe notus, iſte ejus morbus ignotus ſit, adeoq; ſenis deliri & cerebroſi, vel potiùs inſani maledictis nemo fidem ullam adjungat, ſed ultrò arrideat. Et hoc ipſum ad nihili faciendas ejus debacchationes Ludoviſio Cardinali aliquando afferre viſum eſt: cui cùm regereretur, At enim iſtius notæ impunitas peccatum hominis alit & corroborat, ut eum nulla mendaciorum & maledictorum ſuorum acta pœnitentia mox in maximam malam rem, hoc eſt, ad Acheruſia Orci templa præcipitem ire neceſſe ſit: *Eat ſanè*: inquit ille, *quid noſtra id refert? ipſe de ſe viderit.* Hinc autem nemini obſcurum eſſe poteſt, quanti Germanica natio Romæ fiat, cùm tot illuſtribus ac nobilibus adoleſcentibus, ex quibus Electores & Principes Imperij aliquandoædituri ſperantur, eum Generalis Jeſuitarum morum magiſtrum præficiat, quem propter effrænem, impotentis animi iracundiam & convitiandi mentiendiq; libidinem nemo fide dignum cenſeat, ipſe etiam Ludoviſius, unicus ille Societatis patronus laudumq; buccinator, pro Orci Candidato ſe habere minimè diſſimulet. Alij

in

In tolerando tàm comperta inſaniæ ac maledicentiæ viro Patrem Generalem hanc habere rationem cenſent Societatis omnem in partem plurimum intereſſe, ut in ea ſint homines ſententia, Jeſuitarum operam Eccleſiæ ac Reipublicæ ita neceſſariam eſſe, ut ſine illa nec religio Catholica ſubſiſtere, nec virtus ac eruditio à quoquam parari poſſit. Hanc verò opinionem minui, ſi quis virtutis aut doctrinæ famam habeat, qui vel Jeſuita non ſit, vel certè Jeſuitis magiſtris uſus non fuerit, ſi præſertim idem apertè ferat, non omnia ſe Jeſuitarum dicta aut facta probare, neq; quod nigrum eſt, in gratiam eorum album velle dicere. Rationem proinde imperij publici ſive *Status* (ut vocant) hoc omninò poſtulare, ut Jeſuitæ de ingenio, doctrina & moribus eorum detrahant, quos non ſine fraude & damno ſeu præjudicio Societatis benè ab alijs audire intelligunt. Benè ergo de Societate Caſtorium mereri, adeoq; nom tàm culpa carere, quàm commendari dignum eſſe, qui mendacijs ac maledictis tam ſtrenuè eos oppugnet, quibus exiſtimationem minimè ſalvam eſſe tantoperè Societatis interſit. Non nemo deniq; hanc Patri Generali excuſationem, parat, quod ſatis exploratum habeat, Caſtorium ejus notæ Cantorem eſſe, qui veterem ſuam cantilenam canere, hoc eſt, mamaledicta in alios ingerere pro cibo habeat,
&mul-

& multò vitam amittere, quam iſtius generis carmine ſuperſedere malit: adeoq; nihil hoc eſſe certò certius, ſi in alios pus & venenum ſuum emoverè vetetur, in ipſum mox Generalem cæteroſq; Jeſuitas eum cornua obverſurũ, quippe quos præ ſe ut longè in ſodalitio iſto adoleſcẽtiores ipſe natu maxim⁹ contemnat, nec parùm multa, quæ longo jam tempore perperam & adverſus Societatis leges atq; inſtituta admiſſa novit, quorumque ipſe pars magna fuit, cum ingenti totius Ordinis invidia palam agitare poſſit. Quidni ergò Generalis ſuo eum ingenio uti patiatur, aliis potiùs, quàm ipſi, omni bile evomenda moleſtus ſit, cùm haud dubiè *ad maiorem Dei gloriam* pertineat, alios potiùs, quam ipſum, eiuſque Sodalitium malè audire? Hinc porrò fit, ut citiùs luſciniolæ cantio, quàm Caſtorio mendacia & convincia in viros optimos & eruditiſſimos defuerint, ut in eum uſquequaque conveniat, quod de Corvo & Pſittaco Apuleius habet. Et corvus (inquit) *& pſittacus nihil aliud, quàm quod didicerunt, pronunciant. Si convicia docueris, conviciabitur: diebus ac noctibus perſtrepens maledictis. Hoc illi carmen eſt, hanc putat cantionem. Vbi omnia quæ didicit maledicta percenſuit. denuò repetit eandem cantilenam. Si carere convicio velis, lingua excidenda eſt, aut quamprimum in ſylvas ſuas remittẽdus.* Ac talib⁹ quidẽ canticis ſuam Caſtori⁹ vocẽ exercet. qb⁹ etſi uſq; eo ſe oblectat, ut

cum

cum quovis modorum iſtorum cantitat, pulcher ſibi ac beatus videatur, neq; ſortem ſuam cum illis beatorum ſpiritibus, *immortali ævo-ſumma cum pace potitis* & canticum novum decantantibus commutatam velit: tamen ne illam quidem aſpernatur voluptatem, quam alienus cantus audientibus afferre poteſt. Itaq; plurimos annos impenſo pretio præſtantiſſimos totius Italiæ Symphoniacos ſive flatu, ſive nervis aut fidibus, ſive aſſa voce cantantes, conductos habuit, quorum aliis ternos, aliis quaternos aureos menſtruos (ut quidem ipſi prædicabant) pro ſtipendio dependebat, ſic tamen ut ſæpè extra ordinem in diebus, quos majore quadam celebritate Roma feſtos habet, pro ſingulis cantiunculis viritim aureum cantorib. exſolveret. neq; tamen ea re contentus octo pueros, quos ex omnibus, qui Romæ vocaliores & μȣσικώτεροι cæteris viderentur, maxima cura delegerat, una cum Phonaſco, vocis artifice & artis magiſtro, in ipſo Collegio Germanico alebat, ut planè fructib. Collegij illudere, eleemoſynaſq; ab hominib. pijs ad redimenda peccata ſua teſtamento relictas, & ad alendos eos qui reſtituendę ac retinendæ in Germania Catholicæ fidei gerendæq; animarum curæ ſe devoverunt, Pontificum auctoritate converſas, benè magnam partem ad oblectandas ſuas & eorum, quos advocabat, præci-

ci-

cipueq; veteranorum Jeſuitarum in Generalis contubernio viventium auriculis abuti videretur. Non ignota loquor. Hoc Pontifex, hoc Cardinales, hoc omnis Roma, hoc magni denique Principes aliqua ex cauſa Romam appulſi noverunt: quorum nonnullos idem Caſtorius ad prandium aut merendam devocare, eamq; in rem non ſemel quinquagenis aureis amplius expenſum ferre auſus eſt, nulla illa vel neceſſitate adactus, vel Collegii alumnorum utilitate ductus, ſed ſola voluptate victus, quam partim Symphonia audienda, partim ſe Principibus ventitando, ſuumq; regnum, & in dilapitandis Collegij opibus Pontificium ſupremamq; & ἀνυπεύθηνον atq; omni reddendæ rationis onere liberam ac ſolutam poteſtatem oculis eorum ingerendo capere ſolebat. Sic itur ad aſtra, ſic digito cœlum tangitur, ſic Martyr iſte pro ſede Apoſtolica quotidiè moritur. Neq; tamen cæteras Jeſuitarum in hac tanta ſua immortalitate prorſus ignorare, neq; non in ſuæ felicitatis ſocietatem alios atque alios ſubindè admittere cenſendus eſt, cùm ab ea ne Dominicanos quidem excludendos, putet, etſi eos Jeſuitæ alioqui pro æmulis parumq; amicis habere ſolent. Quadam certè die in ſuburbano Collegii horto duos Dominicanæ familiæ Theologos prandio cum advocaſſet, tres pueros ex octo illis, quos Symphoniæ cauſa Collegij

 im-

impenſis ali ab eo dixi, propter majorem & vocis ſuavitatem & artis Muſicę peritiam electos in totidem arborib. collocari, ibiq; velut luſciniolas certatim cantillare, aureſq; prandentium promereri juſſit. O Divi Ignati & Xaveri, quid habetis, qui magis quàm ipſe ſit, beatos vos eſſe credat Caſtorius, qui hæc tanta oculis & auribus bona concipit, ſibiq; & ſodalibus, quos plus deligit, cœlitum DELICIAS velut in anteceſſum repræſentat?

Venio nunc ad SCÆNICAS Jeſuitarum Delicias ſeu recreationes, in quibus verò demum locum habet, quod ait Mariana, *multis eas menſibus durare*. Fieri quippè neceſſe eſt, ut adoleſcentes ac pueri, quibus agendi partes mandantur, ſæpè ſui periculum faciant, ac repetita ſæpius actione oculos aureſq; Jeſuitarum oblectent. Ferè enim ex omni numero ſpecioſiſſimi deliguntur, quorum præcipuè quidem, non tamen ſola facies, non minimum autem vocis quoque & actionis ac veſtitus lenocinium ſpectatores alliciat. Romæ certè cum D. Ignatii *Apotheoſin* (quam vocabant. nam *Canonizatio* rus eis olere videbatur) in Theatro exhiberent (id quod eos quinctum decimum feciſſe puto) Divi illius perſonam gerebat adoleſcens minimè inhoneſtioris, ex ſummi quippe Pœnitentionarij pædagogio lectus, qui benè adhuc ætatem ferret, ac necdum flo-

ſlorem juventæ penitùs exſtinxiſſet. Itaq; minimè mirandum erat, certatim Romanos ad ſcœnici iſtius Ignatij conſpectum convolare, & pegmatis automato in cœlum ſuſtolli incipientem plauſu & acclamatione proſequi, ſibi etiam velut Divo devotiſſimis volentem propitium optare. Non facilè autem verbis expreſſero, quanto morum ac ſtudiorum detrimento ſcænicam iſtam voluptatem Jeſuitis juventus inſtruat. Primum enim quibus mandatæ ſunt in ſcœna agendi partes eo prætextu multò fiunt ad diſcenda Magiſtrorum dictata indiligentiores, ut complures ſæpè menſes nullo operæ pretio eis effluant. Si Magiſter eos objurget, quod ſint ceſſatores, parata eis eſt excuſatio, ſe quæ in Scæna recitare neceſſe habeant, ediſcere, quo verbo Magiſtrum reddunt Harpocratem. Deinde cùm pleræq; illæ Fabulæ à Jeſuitis, ijsq; plebiis & minorum gentium conſcriptæ ſint, fit ut ijs ediſcendis pueri plurimis barbariſmis & ſolæciſmis imbuantur, qui per omnem poſteà ætatem eis adhæreſcant.

Adhæc vix evitari poteſt, quin etiam illi, quos alioqui pædagogorum aut privatorũ ſeu domeſticorum magiſtrorum cuſtodià à pravorum, nec ſatis caſtorum adoleſcentum congreſſu munitos habet, ad morum corruptelam, ſępè etiam ad jacturam pudicitiæ inſidiatoribus eorum prodantur, nec enim actorum ſeu collocutorum

alter altero interdici poteſt, quin ſæpè una ſint, ipſiq; in proſcænio aut alibi privatim ac ſoli perſonas ſuas agere adſueſcant. Ita uſu venit, ut qui pudiciores Veſtę domo venerant, ex ſcæna Catamiti, aut certè nequitiæ minùs rudes, domum revertantur, ſi ſpectatiſſimæ virtutis viris fides eſt, qui & ipſi complures Principibus in theatro fabulas dederunt, aut Sacerdotibus credimus, qui Actores aliquando peccata per ſacram exomologeſin renarrantes audiere, quorum non neminem in ea comperi ſententia, parentes, qui hiſtricas ejus notę actiones impenſis ſuis adjuvant, ac filiorum operam ſcœnę commodant, quiddam ijs ſimilefacere, qui olim liberos ſuos idolo Moloch conſecrabant. Vere n. lenocinium eos facere, ac florem ætatis liberum ad paſtum dumtaxat oculorum, vel actoribus, vel ſpectatorib. proſtituere. Ut n. eam eſſe concedant in Jeſuitis virtutis perfectionem, ut formoſorum conſpectu nihil comoveantur, nec obſcenius natura eorum excitetur, aut certè non ultra quam licet ac fas eſt ipſi ea ſe θεωρίᾳ oblectent: non parum multos tamen ad animi firmitudinem nequaquam Jeſuitis pares vix ſe continere, quin ebrios ac putres in eos deponant oculos, tum quidem certè cum retecta ac nuda plurium epheborum corpora, Phœbi pulchriora, in Crucibus parieti applicitis confixa an adſtricta contu-

tur, Velut in magni cujuſdam Principis civitate ad Chriſti ſupplicium ſexta majoris hebdomadæ feria repræſentandum pro ſumma rerum, qua ibi potiebantur, Jeſuitas factitare memini. Sed ejusdem Principis honori hoc à me datur, ut loci nomen ſilentio involvam.

Prætereo etiam maximè deforme Adulationis genus, quo niſi fabulas ſuas condiant, eas aliter vix ſtare poſſe perſuaſum habent. Itaq; Viennæ annis ſuperioribus religioni eis non fuit, in libello typis deſcripto, qui Comediæ, quam Matthiæ Cæſari multisq; Principibus daturi erant, argumentum complectebatur, Henricum Julium Ducem Brunſuicenſem, *Reverendiſſimum Epiſcopum Halberſtadienſem*, honoris cauſa appellare, quem tamen & Hæreticum & Catholicis infeſtiſſimum eſſe, & invitis divini humaniq; juris legibus Eccleſiæ Halberſtadienſi ſacrilegè incubare, eoq pacto leges de Religionis pace in Germania fixas vi perrumpere, ac propterea velut perduellem non modò nec minima boni cuiusq; laude, ſed etiam Cæſaria proſcriptione dignum eſſe judicabant. Evangelio quidem ſi credebant, eum non per oſtium in ovile, ſed aliunde ingreſſum, Lupum, Furem & Latronem, minimè verò Paſtorem aut Reverendiſſimum Epiſcopum perhiberi oportere dubium non habebant. Grætij verò quondam in Comædia ex fœdiſſimis adulati-

onibus erga fratres Archiduces, Ferdinandum, Maximilianum, Leopoldum & Carolum, eorumq; ſorores & omnium Matrem tùm præſentes, novum Litaniæ genus, an ſæculare carmen conficere viſi ſunt. Cum enim puer quidam ſcænicus in magnæ illius Martis laudem pronunciaſſet,

Mater optima: alius mox ſuccinuit, *Mater prudentiſſima.*

alius	*Mater caſtiſſima.*
alius,	*Mater liberaliſſma.*
alius,	*Mater clementiſſima.*
alius,	*Mater Patriæ.*
alius,	*Mater orphanorum.*
alius,	*Mater pauperum.*
alius,	*Mater tot Reginarũ.*
alius,	*Mater tot Archiducũ.*

Mimum tandem, an Litaniam, cum multis ſuis laudibus expleverunt,

Leupolduſq; ſacer, Caroleumq; decus.

Alia ejuſdem artificij ſpecimina nihil me commemorare attinet: ſiquidem nuſquam gentium Jeſuitarum ſunt Collegia, quin ibi quotannis in Scæna Mimos agant, & Principes ac Magnates, qua viros, qua fœminas, exquiſitiſſimis aſſentationibus demulceant, quarum vel homines Gentiles, ac Chriſtianorum ſacrorum penitus rudes, meritò diſpudeat.

Quod

Quod ſi quis iam benè calculum ponere, & quanto auro atq; argento multi privatim emungantur, ratione ſubducta reperire velit, qui ſc. parum firma ſunt fronte, nec ijs præcidere ac negare animum inducunt à quibus ad Scænæ apparatum quantum vis grandes impenſas nullo pudore poſcuntur ; nihil equidem dubito quin Jeſuitas vetus Athenienſium exemplum hodiè referre mihi aſſentiat: quos graviſſimè Plutarchus accuſat, quod magnarū claſſium & exercituum commeatus & impenſas in Theatri nugas effuderint. *Si enim rationes ſubducantur* (inquit) *quanta conſtiterint ſingula Athenienſibus fabula, apparebit eos in Bacchas, Phœniſſas Oedipos, Antigonam, Medeaq; & Electra calamitates plus feciſſe ſumtuū quam in bella pro imperio & libertate contra Barbaros geſta.* Et dubitamus adhuc, quin verè pretioſi operarij ſint Jeſuitæ, quorum Deliciæ ac Voluptates niſi regijs jacturis & impenſis, aliter inſtrui nequaquam poſſint?

Reliquum nunc eſt, ut de VENATIONIBUS eorum, deq; voluptate, quam inde capiunt, videamus, qua de re vix mihi fides fuiſſet facta, niſi Sacerdos Capuccinus, ſpectata probitatis vir ea, quæ in Eberndorfienſi Præpoſitura oculis ipſe ſuis uſurpavit, mihi retuliſſet. Grætienſes nimirum Jeſuitæ (ſive ut ipſi Grammaticæ non ſatis periti, eoque ubere virgidemia digni, vocare ſe ma-

ſunt, *Gracenſes*,) Quietis, quam vocant, domum ibi conſtituerunt, quo ſe quotannis per ſtudiorum intervalla animi cauſa recipere, & ſcholaſticis laboribus feſſos recreare ſolent. Ibi retia, plagas, venabula, venaticos canes, cornua, equos omne deniq; venatorium inſtrumentum ad Quietem Reverendis Patribus præſtandam affatim invenias. nec ulla eis eſt religio, ne in Sacros Canones venatione Clericis interdicentes delinquant nefasq; contrahant. Sciunt enim *iuſto legem nõ eſſe poſitam*, & imprudentis aut calumniatoris eſſe, leges publicæ utilitatis cauſa latas ad fraudem noxamq; Reipub. interpretando convertere. Quis eſt qui dubitare auſit, publicè vehementer intereſſe, ut Jeſuitæ alacriores ac vegetiores ad docendum quotannis redeant? Quod quidem nequicquam facere eos poſſe exiſtimes, niſi ad *Quietis domum* ſe conferant, ibiq; Venatione animum laboribus annuis fractum relaxent. Quo accedit, quod ferarum venatio cum Hæreticorum in Eccleſiæ plagas compulſione ſeu Converſione maximam habet ſimilitudinem. Ex quo & Hæretici, *Feræ ac Beſtiæ agri* vel *Saltus*, Sacerdotes autem eorum ad Eccleſiam reductioni operam locantes, *Venatores* in ſacris literis paſſim perhibentur: An ergò erit quiſquam, qui non agnoſat ac fateatur, Jeſuitas ſectando lepore, figendo cervo, aut excipiendo

Cal-

Calcedonio ſuæ ingens operæ pretium facere, qui eandem prorſus rationem mox in Hæreticis ſectandis, conficiendis, aut de agro Dei proterrendis fugandiſque tenere diſcant, ut ſicut Apoſtoli olim pro Piſcium captoribus Piſcatores hominum evaſerunt, ſimiliter ipſi fortes ac robuſtos *Hominum venatores* ſe præbeant?

Ita ſucceſſores eos eſſe Apoſtolorum nemo non intelliget, neq; intercedet, quin nunc demum Deus præſtet, quod tantò ante factum ſe receperat. Ierem. 16. *Ecce ego mittam eis multos Venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.*

Eſt tamen etiamnum quiddam, quo haud ſcio an plus etiam, quàm iis quæ adhuc dicta ſunt, ſuam venandi conſuetudinem *ad Majorem Dei gloriam* & ad boni publici rationes pertinere, adeoque nullo jure accuſari defenderint. Magni ſcilicet Principes inveniuntur, quos ex ſententia valere ac diù vitales eſſe Eccleſiæ ac Reipub. Catholicæ plurimum intereſt, idq; boni omnes omnibus votis comprecari debent. Hi verò ſic à pueris educati factiq; ſunt, ut niſi majorem temporis partem venando ſe oblectent, vitam ſibi acerbam putent, ac ne ex ea animi ægritudine mox in corporis quoq; morbum incidant, non ſint nullo periculo. Et tamen reperias homines tàm parùm obſequioſos, ut ejus ingenij Prin-

cipibus religionem ex eo obiicere non dubi-
tent, quod ex D. Hieronymo Canones no-
tant, præter impios illos homines, Nem-
brod & Eſau, nullum in ſacris literis Princi-
pem Venatorem inveniri. Hunc ergò ſcrupu-
lum, qui eos malè habet, eis eximere, eoq;
pacto non magis voluntati eorum, quàm va-
letudini, ſervire, quis neget idem eſſe de bo-
no publico quàm optimè mereri? Id autem
nemo fecerit rectius, quàm qui ſanctitatis
ac prudentiæ opinionem habeat: quod in
Jeſuitis eſſe nemo niſi Hæreticus, aut ſaltem
minimæ bonæ notæ Catholicus in dubium
vocaverit.

Hi ergò ſi & ipſi Venatui indulgeant, odio
cum ſua religione digniſſimus videatur ne-
ceſſe eſt, qui jam injecta Nembrodi & Eſau
mentione Principibus moleſtus eſſe, & iſti
eorum voluptati intercedere animum indu-
cat. Tùm enim in promptu eſt Principibus,
ut ſevero illi patruo & cenſori ſuo ſtrenuè op-
pedant, hocque carmine eum faceſſere pro-
cul iubeant. *Tace ſis & cave malo, novi enim
Theologos, quorum alia longè de Venatione, quàm
tua, eſt ſententia.* Atque hac ratione non modo
Venationes ſuas, ſed & Mendacium ſatis de-
fenderint, quo in præpoſituræ Eberndorffien-
ſis M[illegible] Vr-
ſ[illegible] &

Ac-

Archiducis conſiliarius, narrare amicis ſolebat. Optimo ſc. ac religioſſiſſimo Archiduci perſuaſerant, id Monaſterium non plus mille florenis annuis reddere, cùm tamen ſena millia inde redire ſatis certò noſſent. qua ipſa fronte & conſcientia ut Mylſtadienſe Monaſterium ab eodē Principe obtinerent vectigal eius annuum non niſi ſex millia eſſe contenderant, etſi alios, qui multis annis vectigalia illa adminiſtrarant, viginti quinq; millia inde ſe percepiſſe confitentes audierant, ipſique hodie velut multò ad rem attentiores ac ſolertiores triginta millia capere ex eo ſoleant, quemadmodum idem Tergeſtinus Antiſtes affirmabat. *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emtor* (ſeu pretio, ſeu precib⁹ emat) *& cum receſſerit, tunc gloriabitur.* id eſt, poſtquam id quod volebat obtinuerit, in ſinum gaudebit, quòd pretiū rei verbis extenuando ea potitus fuerit. Pro. 20. *Ad majorem* ſcilicet *Dei gloriam pertinet*, Jeſuitas in benè aucta parte eſſe, nullaq; re non modò ad neceſſarios vitæ uſus, ſed ad commoditates quoq; ac Delitias idonea defici. Vt enim eſt in ſacris literis, *Pecunia obediunt omnia. Et utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus Solem. Sicut enim protegit Sapientia, ſic protegit pecunia.* Divitias autē vix poſſidebūt Jeſuitæ, niſi opulēta Mōaſteria cōſeqūtur, cū Principes de alieno, q̄ de ſuo, multò liberaliores eſſe ſoleant.

Id autem nequicquam ſperent , ſi ut res eſt ſimpliciter velint eloqui, nec aliquid alicubi mendacioli adſpergant ut verbis Apoſtoli ſic de ſe prædicare poſſint: *Cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Illud quidem ſatis exploratum eis videtur, ſuam iſtam Monaſteriorũ ditiſſimorum venaturam & mendacia, quibus ea venantur, non magis Deo ingrata eſſe, quam obſtetricum Ægyptiarum commodatum Dei populo mendaciũ fuiſſe ſciũt quib⁹ propterea Deus *benefeciſſe & domos ædificaſſe* memoratur. Nam & ipſi ſibi domos ampliſſimas, an regias, ædificatas eſſe contuentur, & al j in Domo Quietis Eberndorfienſi perſpicuè oraculi illius fidem impletam intelligunt, quod Pſalmi 131. Hebræa ac Græca præfert lectio: *Hæc REQVIES mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. VENATIONEM eius benedicens benedicam. Sacerdotes eius* (Venatores puta) *induam ſalutari*, ſive nomine JESU, quod eſt nomen dantis ſalutem, exornabo, ut JESUITÆ ſeu *ſalutares* audiant. Sed de Delicijs eorum , quas Mariana nimias, nimis multas , nimiſque diuturnas, ipſis denique noxias eſſe cenſet , ſatis iam dictum deputo. Si quis tamen ſit, cuius auris iſto audito nondum impletur , facere me cogitet, quod ait Salomo : *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt & reſervat in poſterum*, Prov. 29.

DI-

DIVINA ORACVLA DE EXITV *Societatis.*

Ierem. 48. *Quia plus fecit, quàm potuit, idcircò perierunt.*

Jeſuitas plus facere, quam poſſint, ſive inconceſſa aut impoſſibilia conari, minimè eſt obſcurum.

Volunt ſimul Deo & Mammonæ ſervire, quod eſſe impoſſibile teſtatur Chriſtus, Matth. 6.

Non poteſtis Deo & Mammonæ ſervire.

Volunt ſimul Chriſtum & Vitellium aut Vitulum ſuum adorare, ac pariter gloriæ utriuſque ſervire, quod eſt impoſſibile. *Nemo* enim *poteſt duobus Dominus ſervire*, Matth. 6. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum; gloriam meam alteri non dabo*, Iſai. 42. *Proiectus eſt Vitulus tuus Samariæ, quia artifex fecit illum, & non eſt Deus*, Oſe. 8.

Volunt ſimul eſſe Milites Chriſti, & implicare ſe negotiis ſæcularibus, quod eſt impoſſibile. *Nemo* enim *militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, qui ſe elegit*, 2. Tim. 2.

Volunt ſimul certare in Agone coronandi, nec ab omnibus ſe abſtinere. quob eſt impoſſibile. *Omnis* enim *qui in Agone contentit, ab omnib. ſe abſtinet, ut corruptibilem coronam accipiat*, 1. Cor. 9. *Qui certat in Agone, non coronabitur niſi legitimè certaverit*, 2. Tim. 2. id eſt,

niſi ſecundum leges Agoniſticas à multis rebus placitis abſtinuerit.

Volunt ſimul multos erudire, ſive ad faciendos fructus pœnitentia dignos impellere, & animæ ſuæ ſuaves eſſe, nec eam ieiunijs multis affligere, quod eſt impoſſibile. Vt enim Eccl. 37. ſcriptum eſt: *Vir aſtutus multos erudiuit, & anima ſua ſuavis eſt. Omni re defraudabitur* (id eſt, fruſtra laborabit) *non eſt enim illi data à Domino gratia.*

Volunt ſimul ſapientiam acquirere, & multis actibus ſeu vitæ negotioſæ ſe dedere, quod eſt impoſſibile. Quia *Sapientia Scriba eſt in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet*, Eccl. 30. id eſt, *Scriba doctus ad regnum cælorum & idoneus novi Teſtamenti miniſter* totam vitam contemplationi deputare, & omne tempus vacuum habere, minuſque actuoſus eſſe debet.

Volunt ſimul eſſe Arbores frugiferæ, nec tamen plantari ſecus decurſus aquarum de ſanctuàrio egredientium, quod eſt impoſſibile. Nam homines tantum contemplativi, *quorum voluntas eſt in lege Domini, in eaque dies & noctes meditantur*, ſunt talia *ligna fructifera*, *quorum fructus* ſive opera *ſint in cibum*, *Folia* verò ſive verba *ſint* in animorum *medicinam*, Pſal. 1. Ezech. 47. cum alij ſint vel *myrica in deſerto* (Ier. 17.) *vel Salices torrentis* (Iob. 40.) quoniam aquis ſapientiæ ſalutaris aut nun-

q. am,

quam, aut minus ſæpè irrigantur, id eſt, Contemplationem rerum divinarum aut prorſus miſſam faciunt, aut pro Exercitio tantùm habént, non pro officio, pro Medio, & non Fine. Aut etiam ſunt *Arundines vento agitatæ* (Matth. 11) quippe quos humani fauoris aura paulo momento huc illuc impellat, ut modo ſpe gratiæ iucunda & hominibus placentia loquantur, modo offenſæ metu ingrata, quamvis hominum ſaluti neceſſaria, reticeant, & vtrouis modo plurimum hominibus noceant.

Volunt ſimul rapere regnum Dei, nec tamen eſſe in ſeipſos violenti, quemadmodum Johannes Baptiſta, Chriſtus & Apoſtoli fuere, quod eſt impoſſibile. *A diebus* enim *Iohannis uſque nunc regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Violentia verò uſus fuit Johannes, cum *venit nec manducans panem, nec bibens vinum, nec veſtitus mollibus, nec in domibus regum* vivens. Chriſtus etiam in ſe violentus fuit, ut *expectaret cor eius improperium & miſeriam* (Pſal. 68.) & cuperet *ſaturari opprobriis* (Thren. 3.) & tantæ paupertatis eſſet, *vt non haberet vbi caput reponeret* (Luc. 19.) eſſetque *vir dolorum & ſciens infirmitates, vulneratus propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra. ſicut Agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum.* Iſai. 53.

Apo-

Apoſtolorum in ſeipſos violentiam ſic deſcribit Paulus 1. Cor. 4. *Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos. Nos ſtulti, infirmi & ignobiles ſumus propter Chriſtum. Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi & inſtabiles ſumus* (ſive nullum domicilium, multò minùs Collegium magnificum habemus) *laboramus operantes manibus noſtris, & quamvis egeamus, nulli oneroſi aut graves ſumus, ſed ſine onere nos hominibus ſervamus* (2. Cor. 11.) *maledicimur, blaſphemamur, colaphis cœdimur, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus.* Vos autem Clerici Regulares, *quos ego in Chriſto Ieſu per Evangelium genui, quos Deus vocavit in Societatem filii eius Ieſu* (1. Corinth. 1.) *iam ſaturati eſtis, iam divites facti eſtis,* ſine nobis regnatis (id eſt, ſine ulla violentiæ Apoſtolicæ imitatione) & *utinam regnaretis* (ac non potius) *dominaremini hominum fidei, quos devoratis, in faciem cæditis, in ſervitutem redegitis* (2. Cor. 1. & 11.) *Rogo vos imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, 2. Cor. 4, 6. & 11. *Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa ſapientia, in neceſſitatibus in laboribus, in vigiliis & ieiuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate.*

Volunt ſimul caſti manere, nec uti medicina ieiunij, quod eſt impoſſibile, cum illi, qui bis in die ventrem carnibus præcipuè vinoque onerant, Seminarium libidinis in cor-

pore ſuo habeant. Sic enim ſcribit S. Hieronymus adverſus Iovinian. *Nos quorum converſatio in cœlis eſt, repugnantem carnem & ad libidinum incentiva rapientem inedia ſubiugamus. Eſus carnium & potus vini, ventriſque ſaturitas, Seminarium eſt libidinis.* Illi arbitrantur carnes ſanitati congruas, qui volunt abuti libidine, & in cœnum demerſi voluptatum ad coitum ſemper exeſtuant. Fruſtra SIMULANT Salva fide & pudicitia & mentis integritate ſe abuti voluptatibus, cum contra naturam ſit, copijs voluptatum ſine voluptate perfrui. Et S. Thomas Opuſc. 18. cap. 9. *Oportet Continentiæ viam aſſumentes carnem propriam abſtractiu deliciis, vigiliis & Ieiuniis, & huiuſmodi Exercitiis caſtigare.* Et S. Bern. ſuper Cantica: *Abſtinebo à vino, quia in vino luxuria eſt, aut ſi infirmus ſum, modico utar iuxta concilium Apoſtoli. Abſtinebo & à Carnibus, ne dum nimis mihi Carnem nutriunt, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem quoque ipſum cum menſura ſumere ſtudebo, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat.* Et S. Chryſoſtomus in Matth. 16. *Iohannes velut purus homo indigebat medicina Ieiunii. CHRISTVS DEVS erat, & non purus homo, & ideo Ieiunio non indigebat.* Hinc conſequitur, Jeſuitas non eſſe puros, ſed vel Deos, vel impuros homines, qui Jeiunij & Abſtinentiæ medicina ſe nõ indigere putent, non plus quidem ieiunent, aut à carnibus abſti-

ſti-

ſtineant, quam omnes alij Catholici, mulierum conſuetudine libidini ſuæ medentes.

Volunt ſimul in rerum divinarum Contemplatione occupari multumque proficere, nec tamen contemplationis & ſcientiæ impedimenta miſſa facere, quod eſt impoſſibile. Ut enim Job. 28. ſcriptum eſt: *Sapientia non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Quæ verba explanans S. Gregorius, *Qui* (inquit) *huius vitæ voluptatibus paſcitur, ab æternæ ſapientiæ intellectu ſeparatur.* Et S. Baſilius Homilia in Pſal. 29. *Iure meam extenuo ac macero carnem, nec meo ſanguini parco, qui in carnem coagulari ſolet, ne mihi ad veritatis cognitionem ſit impedimendo.* Et S. Hieronymus adverſus Jovin. *Sapientiæ operam dare non poſſumus ſi menſæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget. Quod ſi quis exiſtimat & abundantia ciborum potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt & verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, ſe ipſum decipit.* Et S. Thomas 2. quæſt. 147. art. 1. *Aſſumitur Ieiunium ad hoc, vt mens liberius elevetur ad ſublimia contemplanda. Vnde dicitur Daniel* 10. *quod poſt ieiunium trium hebdomadarum Daniel revelationem accepit à Deo.* Sic enim ibi legitur: *Ego lugebam trium hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non comedi, & Caro & Vinum non introierunt in os meum. Et dixit ad me Angelus: Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelli-*

gen-

gendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, ex audita ſunt verba tua. Similiter autem & Salomo ad contemplandum diſcendumq; ſe comparavit, de quo ipſe Eccl. 2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam, devitaremq; ſtultitiam, donec viderem quid eſſet utile filiis hominum.* Sed Jeſuitis unis hoc datum eſt, ut quotidie bis vino carnibuſque ſaturi plus quàm cæteri hominum ſapere & genus humanum docere poſſint, & in unum quemvis eorum conuenit illud Ezech. 28. *Ecce ſapientior es tu Danielo: omne ſecretum non eſt abſconditum à te.* Et hoc Luc. 11. *Ecce plus quàm Salomon hic.*

Volunt ſimul fideles ſeu Chriſtiani eſſe, & de rebus ad victum & amictum pertinentibus nimiam curam gerere, quod eſt impoſſibile. Sic enim Chriſtus ipſe docet Matth. 6. & Luc. 12. *Si fœnum Deus veſtit, quantò magis vos puſillæ fidei? Nolite ergò ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes mundi quærunt* (ſive infideles, paternam Dei providentiam non credentes) *Pater autem veſter ſcit, quoniam his indigetis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum.* Huic Chriſti monito quo modo parēdum ſit, S. Ignatius & Xauerius exemplo ſuo Jeſuitas docuerāt: *Ignatius* enim *Hieroſolymā profectus nec*

viati-

viaticum, nec comitem admittere voluit, quod à divina providentia pendere uſquequaque cuperet. Perſpiciebat enim, ſi peregrinanti ſibi adverſi quippiam eveniſſet, fieri non poſſe, quin aliqua ſaltem ex parte comitis præſidio fideique confideret: proinde quicquid in ei ſpei locaſſet, id utique ex ea detractum iri fiducia, quam totam in uno Deo clementiſſimo parente ac rectore vellet eſſe repoſitam ut auctor eſt in vita eius Maffeius, qui pariter de Xauerio ſcribit: *Omne commeatus & viatici genus in Indias ad prædicandum Chriſtum profecturus reiecit, cùm ita diceret: Suſcepto paupertatis voto, & unius Dei cauſam agenti ſibi nequaquam eſſe de craſtino laborandum.* Quis iam non videat, quam longè hodierni Jeſuitæ à Jeſu & Ignatij cùm doctrina, tùm exemplo deſciverint, ut ſive Gentilium, ſive Phariſæorũ nomẽ multò meliori iure, quàm Chriſtianorum in eos conveniat, ſi tamen fas putamus S. Aguſtino credere, cuius verba ſunt in libro de Eleemoſyna: *Tu Chriſtiano, tu Dei ſervo, tu bonis operibus dedito tu Domino ſuo caro aliquid putas defuturum? An putas, qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſo non paſcitur? An putas terrena deerunt, quibus cœleſtia & divina tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio? Vnde impia & ſacrilega iſta meditatio? Quid facit in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Chriſto* OMNINÒ NON CREDIT *appellatur & dicitur Chriſtianus? Phariſæi ſibi magis congruit nomen.*

Volunt ſimul divites fieri, & non incidere in laqueum Diaboli, quod eſt impoſſibile. Sic enim docet Paulus 1. Timoth. 6. *Veritate privati ſunt, qui exiſtimant quæſtum eſſe pietatem. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri* (id eſt qui ex miniſterio Eccleſiæ plus petunt quàm alimenta & tegumenta) *incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Et Salomo Proverb. 28. *Qui feſtinat ditari, non erit innocens.*

Volunt ſimul in Aulis Principum ſe calefacere, & Chriſtum non negare, quod eſt impoſſiibile. Exemplo eſt Petrus, qui quamvis eſſet Princeps Apoſtolorum & Beati appellatione ab ipſo Chriſto honoratus, poſtquam tamen cum Aulicis adſedit ad ignem & calefecit ſe, ter Chriſtum negavit. quo exemplo Claudius Aquaviva Jeſuitas omnes teneri voluit in ſua *Inſtructione pro Superioribus ad augendum in Societate Spiritum* cap. 5. pag. 38. Et propter negandi Chriſti periculum, ſecundæ Congregationis Generalis Canon Jeſuitas Aulis omnibus exeſſe ſic iubet: *Nec Principibus, nec Dominis alijs ſæcularibus aut Eccleſiaſticis aſſignari debet aliquis ex noſtris Religioſis, qui Aulas eorum ſequatur, & in eis habitet, ut Confeſſarii, aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur, niſi forte ad perbreve tempus unius vel*

duo-

duorum menſiũ. Similiter in libro, qui inſcribi-tur *Inſtructiones ad Provinciales & Superiores Societatis*, Inſtruct. 14. pag 86. caput ſeptimum hoc eſt: *De cautela adhibenda, ne Principium ac Magnatum Aulæ noſtris obſint. Satis preſpectum fuerit, ſi mala præveniantur, cum apparent futura, & præcidantur initio familiaritates iſtæ cum Principibus antequam adoleſcant & radices agant, quæ Societati noſtræ, niſi fortiter obſiſtamus, graviter minitantur, præcipuè cum Superiores conniuent.*

Volunt ſimul turbari erga plurima, & optimam partem eligere, quod eſt impoſſibile, velut Marthæ & Mariæ exemplo, & Chriſti ipſius ſententia docemur. Luc. 10. *Martha excepit Ieſum in domum ſuam, & ſoror eius Maria ſedebat ſecus pedes Domini ut audiret verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens Miniſterium, & ait, Domine, non eſt tibi curæ quod Soror mea relinquit me ſolam miniſtrare. Dic ergo illi, vt me adiuuet. Et reſpondens dixit illi Dominus, Martha, Martha, ſolicita es & turbaris erga plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Similiter Jeſuitæ ſunt ſatagei & negotioſi, turbanturque circa plurima, & de Monachis queruntur, quod otioſi deſideant ſibi tantùm ac Deo vacantes, ſed nullum pro Hæreticorum converſione & Catholicorum perfectione laborem capientes. Sed in

eo

tò ſive ipſi plurimum falluntur, ſive alios ſaltem fallere conantur. Monachi enim optimam partem elegerunt, aſſiduam nempe divinæ pulchridutinis contemplationem, per quam cum ipſi plus perficiuntur & amore Dei magis inflammantur, tùm proximos iuvandi longè maiorem voluntatem & facultatem, quàm Jeſuitæ, conſequuntur. Cum enim ex adſpectu amor exiſtat, quo plus quis Deum contemplatur, tantò plus Deum, & illius cauſa imagines & filios ejus, ſive proximos amat adiutos atque ad imaginem Dei reformatos cupit. Cumque plus quis Deum amat, tantò plus ab illo diligatur, ſic fit, ut contemplativi velut gratioſiſſimi eius familiares omnia apud illum poſſint, imò etiam ut Deus nihil poſſit contra ipſorum non modò vota ac preces, ſed etiam cogitationes. Exemplo eſt Loth, Geneſ. 19. verſ. 22. Moyſes Exod. 32. v. 10. Joſue Joſ. 10. v. 14. Job. Job. 42. v. 8. Hac de re ſic teſtatur David Pſal. 9. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Et Pſal. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Quatuor porrò modis homines Contemplativi proximorum ſalutem & perfectionem audiuvant. Primus modus eſt Oratio cogitata, recitata & cantata. Et hic homines iuvandi modus eſt longè cæteris efficacior, ac vel ſolus con-

converſionis, perfectionis & ſalutis gratiam aliis conficit, Iacob. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini. multum enim valet* (ad ſalvandos alios) *deprecatio iuſti aſſidua.* Exemplo eſt Stephanus, qui *fecit* quidem *ſigna magna & prodigia in populo, diſputavit* cum omnium Rabinorum doctiſſimis, *ita ut non poſſent reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui in illo loquebatur*, viſus fuit *facie tanquam Angeli*, longa concione in concilio Judæos docuit & arguit, his tamen modis omnibus nihil apud Paulum profecit, ſed poſtquam velut homo Contemplatiuus *vidit gloriam Dei* , & pro perſecutoribus oravit, converſionis & perfectionis gratiam Paulo impetravit Act. 6. & 7. Sic Epaphras ſuis orationibus perfectionem Coloſſenſibus obtinere ſtuduit, de quo Paulus. Coloſ. 4. *Epaphras ſervus Chriſti ſemper ſolicitus eſt pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis.* Sic diſcimus, Contemplativos minimè otioſos eſſe, ſed multum pro aliorum ſalute & perfectione laborem capere, quod tamen Dillingenſes Jeſuitæ negant, quos S. Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ ita confutat : *Videntur nonnullis res humanas plus quam oporteret deſeruiſſe, nõ intelligentibus, quantum nobis animus eorum in orationibus proſit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur.* Sed nemo luculenti-

us

ctius illud Dilligenſium mendacium convincit, quam clari nominis Jeſuita Ludovicus de Ponte, cuius verba ſunt Tomo 3. de Perfectione, Tract. 4. c. 3. §. 3. *Neque oratio dat ſolùm verbis & exemplis Religioſorum efficacitatem, ſed ipſa etiam SOLA potens eſt hanc apud Deum vocationem impetrare, Et quamvis ipſi in Eremo verſentur, nec habeant conſuetudinem cum ſæcularibus hominibus, nec ab eis videantur, poterunt ſuis orationibus à Deo obtinere, ut pulſet tangatque multorum fidelium corda, ut ad ſuam familiam augendam ac dilatandam accedant. De S. Dominico ſcribitur, quod petentibus ſuis Monachis oraverit Deum, ut Magiſtrum quendam Reginaldum ad ipſius Ordinem vocaret, & cum nec verbo cum eo hac de re actum eſſet, ſequenti tamen die venit Reginaldus, & petijt Ordinis illius habitum.* Secundus modus, quo Contemplativi proximorum ſalutem adiuvant, eſt Evangelizatio operis, ſeu plenitudinis & virtutis multæ, quæ eſt muta prædicatio, hoc eſt vitæ & converſationis ſanctitas, ſignum Dei, ex quo miniſtri eius velut ex manu aut chirographo Dei, à gentilibus & hæreticis cognoſci poſſunt: de quo ſermo eſt Pſal. 67. *Dabit verbum Evangelizantibus virtute multa.* Et Act. 4. *Apoſtoli virtute magna teſtimonium reddebant Chriſto.* Et 1. Theſſ. 1. & 2. *Introitus noſter ad vos non inanis fuit: & Evangelium noſtrum non fuit ad*

 vos

vos in ſermone tantùm, ſed in virtute & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa. Et Eſa. 66. *Aſſumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, & ponam in eis ſignum, & mittam ad Gentes, & annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus, & cognoſcetur manus Domini ſervis eius.* Hoc ſignum Dei exhibuit Paulus in carne ſua, & ſic homines movit, ut antequam ullum eis verbum loqueretur, iam ei crederent tanquam Angelo ſeu Legato Dei. 2. Corinth. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſupra vos in omni patientia.* Galat. 4. *Scitis quia per infirmitatem carnis* (ſive per paſſiones in corpore meo) *evangelizavi vobis prius, & experimentum mei in carne mea non ſprevistis, ſed ſicut Angelum Dei recepiſtis me.* 1. Theſ. 2. *Scitis introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed multa ante paſſi & contumeliis affecti fiduciam habuimus loqui ad vos Evangelium.* Huiuſmodi ſigni exhibitio ac muta evangelizatio longè efficacior eſt, quàm verbi prædicatio, ac proptereà multò melius de aliorum ſalute meretur, qui opere prædicat, *mortificationem Ieſu & ſtigmata Chriſti ſemper in ſuo corpore portans* (2. Corinth. 4. Galat. 6.) quam qui voce fidem Chriſti prædicat. Talis enim muta, ſed potens prædicatio eſt Lux magna, quam etiam illi vident & intelligunt, qui procul in umbra mortis ſedent, cùm Prædicationem vocis animales homines non intelligant

ac pro ſtultitia habeant (1. Cor. 2.) Itaque qui opere & converſatione prædicat, etiam ſine verbi prædicatione homines ad Chriſtum poteſt convertere. Sic enim perſpicuè docet Petrus: *Si qui non credunt verbo, ſine verbo lucrifient conſiderantes ſanctam converſationem veſtram*. 1 Per. 3. Et iterum 1. Petr. 2. *Converſationem inter Gentes habete bonam, ut ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis* ſeu converſionis *ſuæ*. Atque hunc huiuſce prædicationis effectum Chriſtus prædixerat Math. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*. Ita planum eſt, Monachos Contemplativos, ex Regulæ ſuæ præſcripto viventes, & Apoſtolorum vitæ aſperitatem imitantes, longè hominibus utiliores eſſe, quàm quorum inanis eſt introitus, quique ſine tali ſigno & ſine experimento ſui in carne ſua fiduciam habent loqui hominibus evangelium. Tertius modus, quo Contemplativi hominum ſalutem & perfectionem adiuvant, eſt prædicatio calami ſeu ſtyli, longè generalior & diuturnior prædicatione vocis. Nam per eam omnes populi, atque ipſi etiam eorum Doctores, plus quam uno ſæculo docentur. De hac legimus Iſai. 30. *Scribe ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſque in æternum*. Et Hab. 2. *Super*

cuſtodiam meam ſtabo, *& contemplabor*, *ut videam quid dicatur mihi* (ſive *ut audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, Pſal. 84.) *& quid reſpondeam ad arguentem me. Et reſpondit mihi Dominus & dixit*, *Scribe viſum* (quod tibi contemplanti revelavero) *& explana eum ſuper tabulas*, *ut percurrat qui legerit eum*. Et Apoc. 10. *Accepi librum de manu Angeli*, *& devoravi eum* (id eſt, ab Angelo revelante in libro ſcribenda didici) *Et cùm devoraſſem eum*, *amaricatus eſt venter meus*) ut vomiturirem, id eſt, in chartam revelata emovere ſeu perſcribere cuperem) *Et dixit mihi Angelus*, *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, *& populis*, *& linguis & Regibus multis*. Nempe Johannes hodiè quoque prophetat ſeu prædicat illis, qui revelationes ei factas in libro eius legunt, quomodo & *Iſaias* hodiè quoque *clamat*, teſte Paulo Rom. 9. Non eſt ergò dubium, quin plurimi Contemplativi, à Deo ipſis revelata & literis conſignata perſcribentes, per os prædicatorum plurimis ſæculis munere prædicationis fungantur, plurimumque in iuvanda hominum ſalute occupentur, ſimiles Seraphinis Angelos multò ſe inferiores illuminantibus. Quartus modus eſt Prædicatio vocis ſeu ſermonis, quâ funguntur etiam Contemplativi ſive ſemper, ſive quoties hominum neceſſitas poſtulat, aut ſuperiorum iuſſus imperitat. Itaque Benedictini prædicato Evangelio omnem fe-

rè Europam Chriſto ſubiecerunt, quod ipſi etiam Jeſuitæ confiteri coguntur. Qua igitur fronte quidam eorum nunc contendunt, Monachos ſibi tantùm ac Deo vacare, proximorum verò ſalutis cauſa nihil laboris capere, ac propterea Jeſuitas meliorem partem elegiſſe, quippe quibus propoſitum ſit, non modò ſeipſos, ſed & alios ſalvos facere? At enim iam oſtendimus, idem ipſum non minus Monachos propoſitum habere, quibus etiam Jeſuitas Regulam ſuam exactiſſimè quamvis obſervantes multis partibus inferiores eſſe, nullo negotio demonſtrari poteſt. Primum Finis ratione non eſſe eos cum Monachis comparabiles, S. Thomæ auctoritas & ratio facilè perſuaſerit, cuius verba ſunt, Quod lib. 3. quæſt. 6. art. 17. ad 6. *Etſi procurare ſalutem aliorum ſit maius, quàm intendere ſibi ſoli, loquendo in genere: tamen non quocunque modo intendere ſaluti aliorum præfertur ei, quod eſt quocumque modo intendere ſuæ ſaluti. Si enim aliquis totaliter & perfectè intendit ſuæ ſaluti, multò maius eſt, quàm ſi aliquis multa particularia opera agat ad ſalutem aliorum, ſaluti propriæ ſufficienter quidem non tamen perfectè intendens.* Jeſuitæ verò quamvis multa particularia opera agant ad ſalutem aliorum, propriæ tamen ſaluti ſufficienter quidem, non tamen perfectè intendant, quippè qui animam ſuam contemplationi non applicent, adeoque

adhuc abſint à perfectione caritatis. Vt enim idem Thomas docet. 2. 2. quæſt. 24. art. 8. *Quando aliquis ſtudium ſuum deputat ad vacandum Deo & rebus divinis, prætermiſſis aliis, niſi quantum neceſſitas præſentis vitæ requirit, iſta eſt perfectio caritatis, quæ eſt poſſibilis in via, non tamen eſt communis omnibus caritatem habentibus*, quales ſunt Jeſuitæ, ſed boni atque ex formula viventes ſeu Regulam ſuam obſervantes. Et mox art. 9. *Quando homo ad hoc principaliter intendit, ut Deo inhæreat & eo fruatur hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et 2. 2. quæſt. 182. art. 2. ad 1. *Labor exterior* (verſus proximum, ut labor in Eccleſiis & Scholis docendi) *toleratus propter Chriſtum, eſt quoddam ſignum charitatis. Sed multò expreſſius caritatis ſignum eſt, quod aliquis prætermiſſis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, SOLI Contemplationi divinæ vacare delectetur.* Ita perſpicuè docemur Monachorũ Contemplationi ſoli deditorum longè perfectiorem Dei veritatem eſſe, quàm Jeſuitarum quantoſcunque labores in Scholis & Eccleſiis docendi propter Chriſtum tolerantium, quia ſcilicet Monachi *perfectè & totaliter ſuæ ſaluti intendunt*. Jeſuitæ verò, ſicut & alii Clerici Regulares (ut quorum merè Activa eſt vita, in multis particularibus proximorum cauſa agendis occupata) *ſufficienter quidem non tamen perfectè, nec totaliter ſuæ ſaluti intendunt*,

adeo-

adeoque Sacrificium Deo non æquè gratum offerunt. Ut enim ibidem demonſtrat Thomas: *Quantò homo animam ſuam, vel alterius, propinquius Deo coniungit, tantò ſacrificium eſt Deo magis acceptum. Vnde magis acceptum eſt Deo, quòd aliquis animam ſuam & aliorum applicet Contemplationi.* Nec habent Jeſuitæ, cur eo confugiant, ut ſe glorientur Actioni ſimul & Contemplationi animam ſuam addicere, nec minùs Contemplativos, quàm Activos eſſe. Hoc enim effugium ſic eis idem Thomas 2. 2. quæſt. 81. art. 1. ad 5. præcludit: *Contemplativi dicentur, non qui contemplantur, ſed qui Contemplationi totam vitam ſuam deputant.* Jeſuitæ verò apertè ferunt, ſuum Finem eſſe, totam vitam alienę ſaluti impendere. Sic enim Dillingenſes in *Iuſta defenſione* ſcribunt pag. 203. *Societas ad eum Finem inſtituta eſt, ut T O T A M ſe* (non ſuæ, ut Monachi, ſed) *proximorum ſpirituali ſaluti impendat.* hoc eſt, ut labores exteriores propter Chriſtum toleret, quod multò minoris Caritatis propoſitum eſt, quàm Soli Contemplationi divinæ vacare velle, velut ſibi proponunt Monachi, ſuæ ſaluti perfectè ac totaliter intenti. Deinde Mediorum quoque ratione, quibus Jeſuitæ ad proximos iuvandos utuntur, longiſſimo intervallo à Monachorū

abſunt perfectione, cùm & eorum ad Deum orationes ac preces ſint ſine vociferatione, & prædicationes ſine luce & cruce, ſive, cùm nec *Exultationes Dei* habeant *in gutture*, nec *Gladios ancipites* (verbi ſimul & Operis) *in manibus*, ſine quibus non poſſunt *fieri vindicta in nationibus nec increpationes in populis, nec alligari Reges*, ſive *in captivitatem redigi in obſequium Chriſti*, Pſal. 149. & 2. Corinth. 10. Primùm enim Orationes eorum non habent coniuncta duo Sacrificij genera longè Deo acceptiſſima. Vnum eſt ſacrificium animæ ad contemplationem applicatæ, & propius Deo coniunctæ, quod ſacrificium eſt *vociferatio mentis*, etiamſi vox oris nulla audiatur : quomodo Exod. 14. *Dixit Dominus ad Moyſen, Quid clamas ad me?* cùm tamen Moyſes nullam vocem miſiſſet, ſed nimirum in homine contemplativo Deus deſiderium & præparationem cordis eius exaudierat. Hoc autem modo Jeſuitæ clamare non poſſunt, cùm Contemplativi non ſint. Alterum eſt Sacrificium laudis, ſive pſalmodia, aut vociferatio cantus, cuius tantò maior vis eſt, quanto plures eâdem amoris divini flammâ ardentes id ſacrificium immolant, de quo ipſe Pſal. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me.* Ab hoc verò Sacrificij genere cuſtodia, conſervatio & ſalus Eccleſiæ militantis dependet ut docemur Iſai. 62. *Super muros tuos, Ieruſalem*

lem; conſtitui cuſtodes, qui tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt, ſed ſemper me pſalmis cantandis laudabunt. *Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei* (id eſt, ne ſinatis Deum quieſcere, nec deſinatis aures eius hymnodia veſtra pulſarè) *donec ſtabiliat & donec ponat Ieruſalem laudem in terra*, id eſt, donec ſtabilis ſit & glorioſus Eccleſiæ ſtatus. Iſai. 60. *Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Sed non Deum modò, verùm & homines Pſalmodia movet, maximaſque ad homines purgandos & perficiendos vires habet, velut S. Juſtinus Martyr, S. Auguſtinus & S. Thomas diſtinctè oſtendunt, quorum verba videri poſſunt in Apologia pro Monachis adverſus Jeſuitas *Nicolai á Ieſu Maria Carmelitæ* propoſit. 13. quæ Romæ bis edita & nuper Ravenſpurgi invitis & plorantibus Jeſuitis & eorum patronis atque amicis recuſa fuit: unde diſci poteſt, ipſius Eccleſiæ Romanæ iudicio Jeſuitarum orationes illis rebus carere, quibus Deus & homines maximè moveri poſſunt, adeoque cum Monachorum orationibus ſine manifeſta ſtoliditate ne comparari quidem poſſe. Deinde prædicatio Jeſuitarum eſt *ſine Cruce*, cùm victus eorum & amictus nihil ab aliorum honeſtorum hominum more diſcrepet. Itaque ſignum Dei, omnem nempe rerum carni moleſtarum patientiam, & ſui ipſius crucifixionem, aut mortifi-

tificationem & ſtigmata Jeſu in carne ſua, oculis non exhibent, nec *ſermo eorum eſt in plenitudine multa*, ſed *inanis*, adeóque debilis & inefficax ad eos, qui verbo non credunt, ſine verbo lucrifaciendos. Vix proinde effugiunt, quin Sophiſtæ exiſtimentur, & omnibus ſint odio, tanquam *philoſopha homines ſententia, ignava opera*, iisque verum fiat, quod Eccl. 37. ſcriptum eſt: *Et vir aſtutus, multorum eruditor, ſed animæ ſuæ ſuavis eſt. Quia Sophiſtice loquitur, odibilis eſt. Omni re defraudabitur. Non eſt enim illi data à Domino gratia*, alios ſcilicet illuminandi, purgandi & perficiendi. Nec abeſt periculum, ne in eos conferatur illud S. Gregorii lib. 7. Moral. cap. 12. *Eſſe humiles volunt, ſed tamen ſine deſpectu: eſſe contenti propriis, ſed ſine neceſſitate: eſſe caſti, ſed ſine maceratione corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumeliis. Cumq; adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt: quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in urbib. de bello concupiſcunt?* Poſt enim prædicatio eorum ſive calami, ſive ſermonis, eſt *ſine Luce*, hoc eſt, ſine revelatione interna Contemplationis, nec *Nova de theſauro ſuo proferunt*, ſed Vetera tantùm, quæ legendis Sacris literis & SS. Patrum ac Monachorum libris & operibus didicerunt, quod memoriæ opus eſt, non Scientiæ à Deo hauſtæ, adeoque imperfectum Prædicatorem arguit, ve-

lut

lat diſertim S. Gregorius Magnus docet lib. 3. in Expoſit. 1. Reg. 7. ita ſcribens : *Quicquid ſubditis Doctor proponit ad normam rectitudinis, aut de exemplis electorum accipit, aut de doctrina ſacri eloquii, aut ex revelatione interna contemplationis. Si ſolùm exempla bonorum noverit, aut ſi ſacra Scriptura etiam quis eruditus ſit, & contemplationis revelatione caruerit* (quia ſcilicet Contemplativus non fuit, nec totam vitam contemplationi deputavit) *in ordine prædicationis vir* PERFECTUS NON ERIT. *Dei namque debet eſſe docibilis* (ſive Θεοδίδακτος) *qui ſuſcepto prædicationis officio docere homines cupit.* Atque hoc ipſum Chriſtus nos docet Matt. 13. OMNIS *Scriba doctus ad regnum cœlorum* (Omnis prædicator, quem Deus docuit ut annunciet regnum cælorum, *fecitque idoneum Miniſtrum novi teſtamenti*, 2. Corinth. 3.) *ſimilis eſt homini patrifamiliâs, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Qui ergò Nova ſibi primum revelata proferre non poteſt, ſed vetera modò vaticinatur, non eſt Scriba doctus ad regnum cœlorum, nec idoneus Miniſter novi teſtamenti, tanquam carens revelatione interna Contemplationis. Quod ipſum Spiritus Sanctus per os Annæ ſic affirmat 1. Reg. 2. *Nolite multiplicate loqui ſublimia gloriantes* (Id eſt, *prædicatio veſtra non ſit in ſublimitate ſermonis, nec in perſuaſibilibus humanæ*

ſapientia verbis, 1. Corint. 2. *recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſe praparat adinventiones ſuas*, nempe hominibus Contemplativis, plus alijs eum diligentibus, ut Paulus docet 1. Corint. 2. *Sapientiam loquimur in myſterio abſconditam; quam pradeſtinavit Deus in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſeculi cognovit* (qui *Principes ignorârunt voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur*, id eſt, verum earum ſenſum non intellexerunt, Act. 13.) *nobis autem verum intellectum prophetiarum revelavit per Spiritum ſuum, ſicut ſcriptum eſt, Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ praparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Iſtæ adinventiones Dei novæ, nunquam prius viſæ, nec auditæ aut cogitatæ, non ſunt opiniones aut ſententiæ, aut fidei capita ſive articuli, ſed novi ſcripturæ ſenſus atq; intellectus ſpirituales, quibus Eccleſiæ doctrina iam recepta confirmatur, errores iam damnati aut damnandi arguuntur, boni mores docentur, vitioſi caſtigantur. Tales ſenſus revelat Deus ijs, qui totam vitam Contemplationi & ſacrarum literarum meditationi deputant. Philip. 1 & Coloſ. 1. *Oro ut caritas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu atque intellectu ſpirituali.* 2. Timoth. 3. *Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. Omnis enim ſcriptura divinitus in-*

ſpi-

ſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, ut: PERFECTVS ſit homo Dei; ad omne opus bonum inſtructus. Etſi ergò Dilligenſes Jeſuitæ gloriantur, ſuæ Societatis homines maiorem, quàm Monachos, à Deo gratiam accipere, & in ſeipſis EXPERIRI, itaq; meliorem partem elegiſſe videri volunt, cùm tamen ſatis iam conſtet, eos Contemplationi totam vitam ſuam non deputare, nec ſacrificium Deo acceptiſſimum offerre, & animæ ſuæ ſuaves eſſe, nec eam fame, ſiti, vigiliis, ieiunis, frigore & nuditate affligere, eoque pacto acceptam Dei gratiam non adiuvare, quod tamen Dei miniſtris faciendum eſſe Paulus docet. 2. Corinth. 6. eos nec in ordine prędicationis viros perfectos, nec ad omne opus bonum inſtructos eſſe; ſed multis rebus, quæ Monachis adſunt defici nemini porrò dubium eſſe poteſt, Perſpicuè enim de Doctore, qui talis eſt, Spiritum Sanctum pronunciantem audivimus: *Sophiſticè loquitur: odibilis eſt: omni re defraudabitur: non eſt enim illi data à Domino gratia.* Quantumvis ergò in ædificanda Dei domo negotioſos ſe præbeant, non tamen aberit, quin ſuo quoque exemplo confirment, quod eſt in Pſalmo: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. In vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et Sapient. 3. *Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum.*

Volunt ſcientes in Monachos veterum Ordinum mentiri, ut eos Patrum ſuorum hæreditatibus evertant, nec tamen eſſe falſi teſtes; quod eſt impoſſibile. Vt enim ait Salomo Prov. 14. *Teſtis fidelis non mentietur: profert autem mendacium doloſus teſtis.* Et Prov. 12. *Qui mentitur, teſtis eſt fraudulentus.* Itaq; cùm Rex Achab vineam Naboth poſſidere vellet, hæreditate Patrum eius in ſe translata, *ſubmiſſi fuerunt duo viri, filij Diaboli, qui ut viri Diabolici dixerunt falſum teſtimonium contra Naboth*, quaſi Deo & Regi male dixiſſet, 3. Reg. 21. Similiter Jeſuitæ cùm intellexiſſent veterum Ordinum Monachos nolle Monaſteria ſuorum Ordinum à Proteſtantibus recuperata ad Societatem Jeſu transferri, ſed verba illa Naboth ſua facere, *Propitius mihi ſit Dominus ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi*: propterea duos teſtes, viros Diabolicos ſubmiſerunt, id eſt, *Iudicia duorum Theologorum* Romæ & in Aula Cæſaris exhibuerunt, plena mendaciorum in Monachos, quaſi ſceleribus ſuis omnium Hæreſion & calamitatum publicarum cauſam præbuiſſent ac propterea Monaſteriis ſuis ſpoliari digni eſſent. quod ipſum paulò poſt fecerunt duobus libris Dillingæ editis, quorum alter *Placita Diſceptatio*, alter *Iuſta Defenſio* inſcribitur: quibus ſi creditur, veterum Ordinum Monachi hodiè quoque tàm nequiter vivunt, ut non modò Monaſte-

ria à Proteſtantibus recuperare non debeant, ſed etiam illis quæ adhuc retinuerint, iure pelli poſſint. Sed eos ut viros Diabolicos ſcelerate in Monachos mentiri, ipſius Adami Conzen confeſſione docetur, cuius verba ſunt lib. 6. Politic. cap. 11. *Veteres familiæ Religioſorum priſtinam integritatem rigoremque receperunt, & indies magis magiſque efflorefcunt, magna ſpe meliorum temporum, cùm tàm ſancta fortia, Deo ſacratiſſima* (Monachorum) *pectora caliginoſo ſæculo monſtrent contemnere ſæculi pompas, & ſeſe pro nobis apud Deum interponant*, quoniam ſcilicet tamquam Moyſes propter ſanctitatem Deo ſunt accepti ſſimi. Deinde Sereniſſimæ & ſanctæ memoriæ Princeps Guihelmus Bavariæ Dux falſum illud Jeſuitarum de Monachis teſtimonium ſuis ad fratrem Colonienſem Electorem literis luculentiſſimè refellit, dum ſe velut oculatum teſtem lõge aliud comperiſſe totidem verbis teſtatur; *Nuper in Svevia maiorem partem & præcipuorum quidem Monaſteriorum meis ipſe oculis talimodo reformata, & in tám egregio ſtatu vidi, ut magna inde lætitia cor mihi perfuſum fuerit. Quoties ad eiuſmodi benè reformatum Monaſterium deveni, viſus mihi ſum videre verè priſcam Regulam & veterem Zelum ac pietatem, ſicut ſine dubio ſub ipſa fuit initia, quando fuerunt inſtituta, & ſicut in*

ute-

veteribus libris deſcriptum invenitur. Has Principis eius literas, in Juſtæ defenſionis Auctario recitat P. Laimannus Jeſuita, cuius inter alia longè plurima perimpudens eſt mendacium; dum negat Conzenium fateri, quod veteres Ordines priſtinam integritatem rigoremque receperint. Sed hac omni de re diſtinctius & uberius diſputatum invenies in libello Germanico nuper edito, qui inſcribitur *Actio perduellionis adverſus Ieſuitas iuratos Imperii hoſtes.*

Volunt utilitatis ſuæ cauſa in Pontifice dominandi libidinem incendere. nec tamen eſſe adulatores, quod eſt impoſſibile. Adulator enim *loquitur placentia* (Iſai. 30.) & *per linguæ blandimenta decipit* (Prov. 28.) qui a *eſt conſiliarius in ſemetipſo*, (Eccl. 27.) ſive id ſuadet, unde ad ſe lucri aliquid rediturum ſperat. Iam Pontifices velut homines vix poſſunt quin imperio & dominatione gaudeant, eiuſque dulcedine facilè transverſo agentur, ut ſe pro Domino gerant, non pro Servo; id eſt, ut in actionibus ſuis *appetitu potiùs agantur quàm ratione; nec prius conſiderent, quid liceat, quid deceat; quidq́; expediat*; Quod eorum periculum expendens S. Bernhardus ad Eugenium Papam ſcribit 3. de Conſiderat. 1. *Nullum venenum, nullum gladium plus tibi formido quàm libidinem dominandi.* Dominatur verò, ſeu pro Domino ſe gerit Pontifex (ut idem Ber-

nardus docet (ſi faciat voluntatem ſuam, non eius qui miſit eum. Si poteſtate utatur, quam non habet, id eſt, ſi auctoritatem Apoſtolicam ad ea conferat, quæ potiùs diſſipationis & deſtructionis ſunt, quàm ædificationis, verbi gratia, Si leges & Canones nulla vel neceſſitate, vel magna Eccleſiæ utilitate ſolvat, aut diſpenſet: cùm Chriſtus ne Apoſtolis quidem ullam poteſtatem dederit, niſi quæ ædificaret animarumque ſaluti & ſtatui Eccleſiæ conduceret. Iam Jeſuitæ ut opulentis aliquot Monaſterijs potiantur, & in conſeſſu Procerum Imperij locum & ſuffragij ferendi ius Societati, magnam verò amplitudinem & dignitatem Vitellio Patriarchæ ſuo conficiant, ſuadere Pontifici non dubitant, ut poteſtate ſua utatur in deſtructionem, utq; crudeliter potùs diſſipet, quàm rationabiliter diſpenſet, hoc eſt, ut pro Domino ſe gerat, ſervumque ſe oblitus leges & Canones contemnat, & iura ſibi nata neget. Hoc autem ut illi perſuadeant, Carnem & ſanguinem auxilio advocant, occaſionem ei oſtendentes propinquos ſuos Monaſteriorum opib⁹ collocupletandi, Si ſcilicet Monaſteria quædam partim eis commendet, ſive in commendam det, partim penſionum annuarum eis præſtandi neceſſitate oneret. Sic enim ſcribunt in Placida Diſceptatione pag. 24. *Cur ægrè ferunt Ordines, quædam Monaſteria commendari*

Car-

Cardinalibus? E pag. 15. *Ex Monaſteriis ſuccurritur Epiſcopatibus*: *dantur* Commendæ *benè meritis & accipiuntur, quod ſacrilegio deputare eſt hominis leges ignorantis*: id eſt, Nequaquam legibus vetitum eſt, Monaſteria in alios, quàm quos conditores voluerunt, uſus convertere, & Card.nalibus in prædam dare, ut in bonis dies ſuos ducere, & vectigalibus ſacris aucti familiam numeroſam alere, ſumtuumque dapſiliter factorum profuſione vel magnos Principes provocare poſſin'. Odio cum ſua religione ſeu ſcrupoloſitate dignus eſt, qui opes, Dei cultui & pauperum alimoniæ conſecratas, ſine ſacrilegio putat nec dari in tàm profanos uſus, nec accipi poſſe. Quis autem iſta Jeſuitarum cantilena non agnoſcat Pontificis conſtantiam tentari, ut conſanguineorum caritate victus & labefactatus Sacrilegii ſocietatem cum Jeſuitis coëat? quo ne facere velit, ſic eum divina ſapientia præmonendum & præmuniendum cenſuit Prov. 1 *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint, Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini* (qui eſt *Panis egentium*, quem in Monaſteriis habent hæreditarium, adeoque *qui panem illum defraudat, homo ſanguinis eſt*, ſive homicidii reus, Eccl. 34) *abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra* (contra Ordinem puta S. Benedicti) *Deglutiamus eum ſicut infernus viventem*, *& in-*

& integrum quaſi deſcendentem in lacum. Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus; implebimus domos noſtras ſpoliis. Sordem mitte nobiſcum. Marſupium unum ſit omnium noſtrûm. Fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum, nec velut ipſi Sacrilegio piacularis fias. *Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem* (ſive, ut panem pauperibus debitum præripiant Monaſteriis in poteſtatem ſuam redactis) *Fruſtra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.* id eſt, qui oculis utitur & cautus eſt, poſitas ſibi inſidias intelligit, nec eiuſmodi adulatorum ad utilitatem ſuam omnia revocantium ſuaſoriis ſe in fraudem illici patitur. Sic oculatum & pennatum eſſe Vrbanum VIII. iactumque à Jeſuitis rete perſpicere & effugere, ſumma eius eruditio, præcipueque ſacrorum Canonum ſcientia nos dubitare vetant. Primum enim haudquaquam eum præterire poteſt, Spiritui Sancto & Symmacho Pontifici cum ſexta Synodo viſum ita fuiſſe, magnum nefas contrahere & grandi ſacrilegio obſtringi Principes, qui tantùm permittunt, nec impediunt bonorum pro expiandis peccatis DEO conſecratorum in alios uſus converſionem. Decreti

Apoſto-

Apoſtolici & Synodici verba ſunt: *Valde iniquum & ingens ſacrilegium eſt, ut quacumq; vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute vel requie animarum ſuarum unuſquisq; Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus hæc ſervare maximè convenit, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia à Principibus in aliud transferri vel conferri permittatur.* Quantæ ergò iniquitatis Sacrilegium fore putabimus, Si Pontifex Jeſuitarum ſuaſorijs acquieſcens & obſecundans ſortem cum eis mitteret, omnem pretioſam ſubſtantiam in Monaſterijs involaret, eorum ſpolijs conſanguineorum domos impleret, eoque pacto velut ſignum alijs ad ſacra legenda tolleret? Deinde hoc etiam Pontifex nequaquam ignorare poteſt, Spiritui Sancto & Eccleſiæ ita viſum eſſe, Eccleſias & Monaſteria non poſſe cuiquam commendari, ſive etiam Adminiſtratorio titulo committi, ſine deſtructione gravique eorum atque etiam Eccleſiæ Romanæ fraude ac damno. Sic enim ſancit Lateranenſe Concilium ſub Leone X. celebratum Seſſ. 9. cap. 3. *Quoniam ex Commendis Monaſteriorum Monaſteria ipſa tàm in ſpiritualibus quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendatoriorum negligentia, partim avaritia, vel incuria collabuntur, & indies divinus cultus in eis magis diminuitur: volumus & SANCIMVS; ut cùm illa per obitum Abba-*

tum

rum, qui illis praerant, vacaverint, nullo modo poſſint commendari, ſed de perſona idonea eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates prout decet præfuturi ſint. Eadem eſt Concilij Tridentini ſanctio Seſſ. 25. cap. 21. Clementis ſimiliter quinti Conſtitutio Juri Canonico inſerta omnibus Commendis & Adminiſtrationibus ſecurim hoc modo impingit: *Nonnullis Clericis & perſonis Eccleſiaſticis religioſis & ſæcularibus Patriarchales & Archiepiſcopales Eccleſias, ac Monaſteria deſtituta Paſtoribus, ſub Commenda, vel Cuſtodia ſeu Cura, vel Guardia aut Adminiſtrationis titulo nomineve notabili duximus perpetuò ad vitam, ſeu ad certi temporis ſpatium committenda. Verùm ab hoc ſub diligenti examine direximus aciem noſtræ mentis, demumque* EVIDENTER *perſpeximus, quod Eccleſiarum & Monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona & iura diſſipantur ipſorum, ac ſubiectis eis perſonis & populis ſpiritualiter plurimum & temporaliter derogatur*; nam opes pauperibus alendis, & hoſpitibus ſuſcipiendis deſtinatæ ipſis crudeliter præripiuntur, ut Adminiſtrator vel Commendarius Principis ſplendorem magna Aulicorum cohorte, equorum canumque venaticorum numero præſtare, tùm Baccho & Veneri, Dijs magnis ſacra pollucibiliter facere poſſit. Animabimus verò cum vivorum, tùm defunctorum multiplex prędicationis, hymnodiæ, ſacrificiorum, aliorumque bono-

rum

rum operum fructus deperit, cùm multorum Sacerdotum & Monachorum alimenta unius Commẽdatarii vel Adminiſtratoris avidiſſimis faucibus ingeruntur) *Eccleſiis ac Monaſteriis redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipſis, ſed etiam Romanæ matri Eccleſiæ, quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur & magiſtra, graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur in tot & tantis diſpendiis ulterius cauſam relinquere, ſed volentes potiùs opportunum ac debitum in hac parte remedium adhibere, omnes & ſingulas proviſiones huiuſmodi per NOS (ut præmittitur) factas quibuſcumq; cuiuſcumque Ordinis, dignitatis aut Status, ſed etiam S. R. E. Cardinalibus, quocumque modo vel tempore factæ noſcantur, auctoritate Apoſtolica ex nunc ex certa ſcientia renunciamus; caſſamus & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem.* Sic ipſius Spiritus Sancti ſententiam Conciliorum & Pontificis voce declaratam habemus, uſum Commendarum & Adminiſtrationum EVIDENTER eſſe in deſtructionem, & in gravem fraudem ſeu præiudicium animarum & corporum, nec ſolùm Monaſteriorum, ſed etiam ipſius Eccleſiæ Romanæ. Et tamen audent Jeſuitæ illi, in quorum ore Spiritus immundus loquitur, etiamnum quærere; *Cur ægrè ferrent Ordines quædam Monaſteria commendari Cardinalibus?* Increpet Domi-

minus in te Satan. Præterea probe Pontifex novit, Sacros Canones ſumma cum prudentia ſtatuiſſe, ut nullum Monaſterium cuiuſcunque Ordinis ſit, ita mutari poſſit, ut Monaſterium eſſe deſinat, etſi non vetant, quin auctoritate Apoſtolica ab uno Ordine Monachorum ad alium Ordinem Monachorum propter aliquam neceſſitatem aut magnam utilitatem publicam transferantur. Scit tamen hoc præcipuum & ſingulare eſſe Ordinis Benedictini, quod Canones permittant quidem, ut aliorum Ordinum Monaſteria propter graves cauſas ad Benedictinos transferantur, ſed generaliter prohibeant, ne ullum Benedictinorum Monaſterium ad ullum alium Monachorum Ordinem quibuſcunque de cauſis transferatur. Cuius privilegii cauſas, quæ plures nec leves ſunt, hoc loco afferre longum ſit. Scit etiam Pontifex, Innocentium III. divini humanique iuris conſultiſſimum ac verè ſanctum Pontificem, iam docuiſſe, quod auctoritas Apoſtolicæ ſedis non tàm latè porrigatur, ut etiam propter maiorem Dei gloriam ex Monaſterio poſſit facere Clericorum Collegium, immò ne Epiſcopatum quidem, quod tamen longè quovis ludi magiſtrorum Collegio præſtantius eſt. Hæc omnia quàm verè à me dicantur, licet cognoſcere ex Innocentij

ope-

operibus Coloniæ editis, cuius Tomo 2. pag. 93. epiſtola extat ad Guilelmum Cardinalem Rhemenſem Archiepiſcopum, in qua eſt: *Pervenit ad audientiam noſtram, quod ad ampliationem divini cultus & honorem Eccleſiæ Gallicanæ, in caſtro tuo Moſobni in Abatia eiuſdem caſtri diſpoſuiſti novum Epiſcopatum erigere. Nos ut in prædicta Abbatia Epiſcopatum erigere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate Apoſtolica facultatem, ita tamen ut ab eodem Monaſterio Monachi nullatenus excludantur: ne forte venire contra ſanctiones Canonicas videremur, quibus provida fuit deliberatione ſtatutum, ut quæ SEMEL Deo dedicata ſunt Monaſteria, SEMPER maneant Monaſteria: cùm & hodiè generaliter ſtatuatur, ut ORDO Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundum Benedicti Regulam dignoſcitur inſtitutus, PERPETVIS ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.* Hic planiſſimè affirmantem habemus Pontificem, peccaturum contra Canones, ſi etiam propter ampliationem cultus divini & honorem Eccleſiæ ex Monaſterio faciat Epiſcopatum ad alium Ordinem transferat. Et tamen Dillingenſes Jeſuitæ omni vi pugnant, Pontifici nullam legem obſtare, quin etiam Benedictina Monaſteria ad alios transferat, vel in Scholas aut Collegia convertat. Ita ſuæ utilitatis cauſa Irregularitatem & ſacrilegium ſuadere Pontifici non dubitant. Sed Pontifex ne hoc quidem

igno-

gnorare poteſt, iam Cœleſtini III. & eiuſdem Innocentii III epiſtolis decretalib. ita ſtatutum eſſe, ſi quis Pontifex ex Monaſterio aliquo Benedictinos etiam pertinacis vitioſitatis reos, eijciat, tum *Irregularitatem ab eo committi*, cùm id ei facere neque per Canones liceat, nec deceat, nec Eccleſiæ expediat: & Pontificem eius ſucceſſorem id factum debere *irritare, & infringere*, ſeu reſcindere, & Monaſterium illud Ordini reſtituere, alioſq; probos eiuſdem Ordinis Monachos ibi introducere. Hac de re Cœleſtini tabulæ videri poſſunt apud Baronium anno 1179. & Innocentij in poſteriore operum eius Tomo pag. 142. quas referre hic nimis longum fuerit.

Volunt eſſe Patres, nec tamen filijs theſaurizare aut impendere, ſed ſibi ab illis theſaurizari: quod eſt impoſſibile. Sic quippe Paulus ſcribit 1. Corinth. 1 3. & 4. & 2. Corinth. 1. 2. 10. 11. & 12. *Cùm eſſem apud vos, & egerem* rebus ad victum & amictum neceſſarijs, nulli onerosus fui, nec à quoquam eleemoſynam petij, ſed *in OMNIBVS ſine onere me vobis ſervavi & ſervabo, & cùm tertiò venero ad vos, non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* (id eſt, non prædico vobis Chriſtum, ut opes veſtras: mihi, ſed ut animas veſtras Chriſto lucrifaciam) *Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. Ego autem libentiſſimè impendam* (ſive impenſas de

I meo

meo faciam, id eſt, de pecuniis, quas aut ex operefaciundo, ſive ex laboribus manuum mearum penes me habuero) *& ſuperimpendar ipſe* (vitamque ponam) *pro animabus veſtris, licet plus vos diligens minùs diligar. Quod autem facio, & faciam* poſthac (ne cuiquam oneri ſim, hoc facio,) *ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem* lucri magni ex Eccleſiæ miniſterio faciendi: *ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos* (dicerent ſcilicet: Quod nos facimus, idem & Paulus facit, & iis quib⁹ prædicat oneroſus eſt) *Nam eiuſmodi Pſeudo-apoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergò magnum ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum. Multi gloriantur ſecundum carnem, quod Hebræi ſint, & Iſraelitæ & ſemen Abrahæ. Gloriantur* etiam *in alienis laboribus &* poſtulant videri Patres veſtri, cùm *ego* unus ſim ille, qui *per Evangelium vos genui in Chriſto Ieſu, & velut ſapiens architectus fundamentum* in vobis *poſui*, iſti autem *ſuperædificant*, & non Patres, ſed Pædagogi ſunt. *Nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, non tamen habetis multos Patres.* Et iſti Pædagogi *vocati à Deo in Societatem filii eius Ieſu, iam ſaturati ſunt, iam divites facti ſunt; ſine nobis* (id eſt, ſine ulla Apoſtolicæ vitæ imitatione) *regnant: atq; utinam regnarent,*

rent, nec tyrannidem in vos exercerent, & *dominarentur fidei veſtræ*, *ambulantes in aſtutia & cauponantes* ſeu queſtui habentes *verbum Dei.* Et vos tamquam bonæ frugi verveces *ſuſtinetis*, *ſi quis vos in ſervitutem redigit ſi quis devorat*, *ſi quis accipit ſi quis extollitur* (ac *magnus Apoſtolus* videri poſtulans præ ſe alios contemnit, ac de me ipſo Chriſti Apoſtolo dicere audet: *Præſentia corporis infirma eſt, & ſermo contemtibilis*) *ſi* denique *quis in faciem vos cadit*, veſtraque patientia non aliter ac ſi adhuc pueri eſſetis abutitur, ſua vobis beneficia in faciem exprobrans, aut pudorem veſtrum in oculis habitantem ſemper poſcendo gravans, ita ut propter dyſopiam ſeu frontis infirmitatem ei præcidere ac negare nequaquam audeatis. Rurſum de ſe Paulus ita prædicat 1. Corinth. 9. *Habeo quidem poteſtatem manducandi & bibendi*, *& mulierem ſororem circumducendi*, quæ mihi miniſtret. *Dominus enim ordinavit iis*, *qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere. Ego tamen non uſus ſum hac poteſtate* vivendi de Evangelio & ſtipendium ab iis, quibus prædico, accipiendi: *ſed ſine ſumtu* auditorum *pono Evangelium*, *ut non abutar poteſtate mea in Evangelio* : *& omnia ſuſtineo* (etiam inopiam ſeu defectum rerum ad vitam neceſſarium) *ne quod offendiculum dem Evangelio Chriſti. Cùm liber eſſem ex omnibus*, *omnium me ſervum feci*, *ut plures lucrifacerem.* 2. Theſſ. 3 *Non inquieti*

vimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo; ſed in labore & in fatigatione nocte & die, operantes, ne quem veſtrum gravaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem (gravandi auditores) *ſed ut noſmetipſos formam daremus ad imitandum nos.* 1. Theſſ. 2. *Sicut probati ſumus à Deo, ita loquimur: non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab aliis. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli, facti ſumus in medio veſtrûm, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos* maximos labores nulla cum gratiæ aut lucri ſpe perferens) *ita deſiderantes* (non veſtra ſed) *Vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam cariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis laboris noſtri & fatigationis. Nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium* Dei. Act. 20. ſic idem de ſe Paulus memorat: *Per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrum. Argentum aut aurum aut veſtem nullius concupivi. Ipſi ſcitis quod ad ea, quæ mihi opus erant &* Sociis *his, qui mecum erant, miniſtraverunt manus iſtæ* (id eſt labore manuum mearum mihi & Sociis victum quæſivi, ut vos Sacerdotes idem facere exemplo meo diſcere-

retis) *Omnia oſtendi vobis, quod ſic laborantes* OPORTET *ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi, quod dixit Ieſus, Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Sed Jeſuitæ, opinor, Paulum cenſent literas neſciſſe, qui inter continuum triennium ſibi & Sociis invidendæ molis Collegium, & tria talerorum millia annua fundis nominibuſque depoſita conficere neſciverit, nec multò plus ſententiæ illius. *Diis atque ipſo Iove digna* meminerit, quam ex Timocle Poeta Comico Athenæus recitat; Ἀνόητος ὁ διδούς, εὐτυχὴς δ᾽ ὁ λαμβάνων, *Inſcitus eſt, qui dat; beatus qui accipit.* Lectoris verò nunc eſtō iudicium, utris Jeſuitæ ſint ſimiliores, Paulone Apoſtolo, an Clericis illis Corinthiorum in Societatem Jeſu vocatis, ſed transgreſſis poſtea in Societatem *eius, qui non eſt,* (Joh. 18.) ut eſſent miniſtri & Socij Satanæ. Rurſum tamen Lector velim meminerit, plurimos in Societate ab eiuſmodi culpis innoxios inveniri, qui *gemant ac doleant ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius* (Ezech. 9.) quibus iniquum foret Jeſuitæ nomen fraudi eſſe, cùm hic locus ſit ei, quod Antiphanes dixit Comicus: οἱ μὲν ἄλλα τοὔνομα. Βλάπτουσι τοῖς τρόποισιν, ὄντας ὂν καλὸν *hoc cæteri nomen quidem Reapſe pulchrum moribus infamant ſuis.*

Volunt eſſe ſervi Chriſti Eccleſiæ utiliſſimi, & verbis ac libris cum ijs, qui reſiſtunt, contendere, quod eſt impoſſibile. Contentio

enim & alteratio eum , qui contendit depravat, alterum adverſus quem contendit irritat & in errore obfirmat, cæteros pro quibus aut coram quibus contendit, multis modis offendit deterioreſque reddit, ut ſcilicet vel contendentem pro impatiente ſtultoque habeant, vel de ipſa veritate, pro qua contendit, dubitare incipiant, vel adverſario eius, tamquam plus nervorum habenti faveant, ſicque à veritate avertantur. Nihil proinde diligentius Sermone Dei interdicitur, quam contentiones & pugnæ verborum, quippè quæ Canem magis referant, quàm Ovem. Chriſtus autem cùm exemplo, tùm verbo Eccleſiæ miniſtros Ovium, non Canum ſimilitudinem gerere docuit. Iſai. 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & ſicut ovis non aperiet os ſuum.* Iſai. 50. ipſe de ſe hoc modo prædicat: *Dominus dedit mihi linguam pædiæ ſeu diſciplinatam, ut ſciam oportunè loqui laſſo verbo. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico* (adverſariis meis, ſed patientia eos vinco, nec vereor, ne ſilentio meo videar cauſa cecidiſſe, aut ingenio, doctrina aut eloquentia inferior victuſque diſcedere. Hac enim patientia mea & falſæ infamiæ contemtu Deum mihi facio commilitonem, adeoqe certus ſum, adverſarios meos propediem victum iri prorſuſque interituros) *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus.*

bus in me. Dominus auxiliator meus, ideò non ſum confuſus. Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contra dicet mihi? Stemus ſimul. Quis eſt adverſarius meus? accedat ad me. Ecce omnes (adverſarij) *quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.* Eiuſdem verba ſunt, quæ Pſal. 37. legimus: *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates & dolos totâ die meditabantur: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones, quoniam in te Domine ſperavi;* te cauſæ tuæ minimè defuturum, etiamſi ego dolis & vanitatibus inimicorum nihil reſpondiſſem. De Chriſto etiam Deus Pater Iſai. 42. iſta pronunciat: *Ecce ſervus meus, in quo complacuit ſibi anima mea. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Non erit triſtis, neque turbulentus, ut aperiat oculos cæcorum, & educat de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris,* quo docemur, manſuetudinem medium ſive adiumentum eſſe, ad homines à caligine errorum ad lucem veritatis perducendos, ſed Stentoreos illos Jeſuitarum in Scholis boatus, vix homini, qui rus merum ſit, decoros, ſimiliterque libros maledictis, cavillis & amaris in adverſarios hiſtorii refertos eſſe ab eius perſona, in quo Dei anima ſibi complacuit, & ab hominum ſalute alienos. Matt. 10 & 11. & Luc. 2. Chriſtꝰ miniſtros ſuos à Canina iracûdia, impatientia &

 male

maledicentia ad manſuetudinem erga Lupos præſtandam hoc modo revocat: *Ecce ego mitto vos* (non ſicut Canes moloſſos, dentatos, mordaces & vocales, ſed) *ſicut Oves in medio Luporum. Diſcite ergò à me, quod mitis ſum & humilis corde. Eritis odio omnibus propter nomen meum. Si me patrem familiâs Beelzebub vocaverunt, quantò magis vos domeſticos meos? In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* ſive, ut Iſai. 30. dictum fuerat, *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Jacob. 3. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos?* (quis habet linguam diſciplinatam inſtar Chriſti?) *Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi Zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris: nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem*) ut dicatis, vos Dei ſervos eſſe, quib⁹ ipſe dederit *ſpiritum* ſuum, *os ac ſapientiam, cui non poſſint reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri* velut daturum ſe promiſit Luc. 21.) Non eſt enim iſta contentioſa veſtra *ſapientia de ſurſum deſcendens. ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim Zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum.* 1. Corinth. 3. *Cùm ſit Zelus & contentio inter vos, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* 2. Tim. 2. *Noli contendere verbis. ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. Profana & inaniloquia devita* (nec altercandi occaſionem præbe adverſariis, ut ea

præ-

præſentibus aliis aut legentibus argumentis defenſa probabilitatis ſpeciem acquirant) *multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit*, multoque plures corporis Chriſti partes corripit. *Stult⁹ & ſine diſciplina queſtiões devita* (nec ad diſputationẽ admitte) *ſciens quod generent lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, didacticum ſeu docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſi forte Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Sic docemur, ut Hæretici ad veritatis cognitionem reduci poſſint, neceſſarium eſſe, ut Doctor ſit Didacticus & patiens, non Eriſticus aut Contẽtioſ⁹. *Didacticus* eſt, qui docet, hoc eſt, cuius finis eſt mentem informare, ut ſciat: impellere voluntatem, ut faciat. *Eriſticus*, qui contendit, hoc eſt, cuius finis eſt vincere, nec aut cauſa aut ingenii vel doctrinæ opinione inferiorem videri. Hic impatiens eſt, nec æquo fert animo, ut ipſe credatur nihil adverſario reſpondere potuiſſe. Sic quippe rationem putat: *Si nihil reſpondero, credent homines, me non poſſe cauſam meam defendere, nec adverſario parem eſſe.* Itaque ſuam, non Dei cauſam agit. Nam Dei cauſa non niſi lingua πεπαιδευμένῃ ſeu diſciplinata aut benè morata, manſuetudine & patientia defenditur, eſtque in ſpe & ſilen-

ſilentio fortitudo eius. 2. Timot. 4. *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quid autem ſervo Dei faciendum ſit, ne tales Magiſtri fabulas ſuas hominibus perſuadeant, ita præmonſtrat: *Tu ergò vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple, opus fac Evangeliſtæ, prædica verbum, argue, obſecra, increpa, in OMNI patientia & doctrina. Patientia* enim *opus perfectum habet*, ut ſervi Chriſti *ſint perfecti & integri in nullo deficientes*, ait Apoſtolus Jacob. 1. ac propterea Patientiam Paulus ſignum Apoſtolatus vocat 2. Corint. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſupra vos in omni patientia.* Et 2. Corinth. 6. *Exhibeamus nos ſicuti Dei miniſtros in multa patientia, per infamiam.* (ſine culpa ulla noſtra) *& per bonam famam, ut ſeductores, & veraces*, Id eſt, etiamſi adverſarii nos infament tamquam mendaces & impoſtores, nos tamen minimè decet id impatienter ferre, & mendacii culpam in eos retorquere, ſicut Jeſuitæ in omnibus ferè libris unicè ſtudent, ut ipſi nihil unquam mentiti videantur, ſed mordentes ſe ſtrenuè remordent. in hanc ſemper ſententiam reſpondentes: *Tu mentiris per gulam, & à ſpiritu immundo agitaris. Mendax & infamis nebulo mihi eris, donec quod de me aut de Societate ſcripſiſti docueris aut probaveris.*

veris. Et huc ferè tendunt omnes Jeſuitarum libri, quos in Adverſarios ſuos emittunt: quia ſciliter verentur, ne velut edentuli & ignavi Canes eſſe & offa priventur, & nulla nova Collegia, nulla opulenta Monaſteria, nulla uncta patrimonia poſthac ſibi conficere poſſint, niſi velut furioſi moloſſi mordicus alios invadant. Chriſtus quidem Johan. 8. cùm atrociſſimam ei iniuriam Judæi hoc modo feciſſent: *Nonne benè dicimus nos; quia Samaritanus et tu, & Dæmonium habes?* nihil aliud reſpondit, niſi hoc: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorofico Patrem meum: & vos inhonoratis me*. Hoc erat uti *lingua pedia, & non contradicere*. De Samaritano nihil reſpondet, quamvis maioris id eſſet infamiæ; quàm ſi quis ullum Jeſu tam Pæderaſtam hodiè diceret. Quod ſi Jeſus ex Societate Jeſu fuiſſet, Deum immortalem, quid ille non egiſſet, ut Judæos in eo mentitos eſſe, & iniuriam ſibi inſignitè factam privatis publicisque tabulis luculenter evinceret? Miſiſſet ſcilicet ad Cēturionem illum in Capharnaum, cuius ſervum curaverat fidemque prædicaverat, ut velut homo Romanus nomina Joſephi & Mariæ matris ſuæ in commentariis Actiſque publicis profeſſionis Cyrino præſide factæ inquirenda, eiuſque rei teſtimonium auctoritate publica faciendum curaret. In Nazareth etiam Urbe ſua complures teſtes, quibus ipſe à puero, & parentes ac

propinqui notiſſimi fuiſſent, iureiurando adegiſſet vera comperta dicturos, quibus ſe Judæum, Judæis natum, non Samaritam eſſe comprobaret. Ac ne quis hanc eius in revincendo mendacio tàm aperto diligētiam velut putidiuſculam planeque otioſam & ſupervacuam irrideret, brevioriſque ac neque in falſa infamia, vel ſugillatione potiùs ſatis firmi ac patientis animi argumentum putaret, libro Dillingæ aut Ingolſtadij edito demonſtrandum ſuſcepiſſet, *ad maiorem Dei gloriam* magnoperè pertinere, ne ipſum homines Samaritanum crederent, eiuſque doctrinam auribus reſpuerent, & aſpernarentur. Sic inquam feciſſet, ſi Jeſuita, non Jeſus fuiſſet, *cuius cor* (ut ipſe de ſe Pſal. 68. profitetur) *improperium expectabat & miſeriam*, paratuſque erat *dare percutienti ſe maxillam, & ſaturari opprobrijs*, Thren. 53. Itaque *cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur*, (1. Petr. 2.) quemadmodum Jeſuitas facere videmus, qui unum maledictum decem alijs remunerantur, & malam rem magnam, Pontificis præcipuè Cæſariſque animadverſionem eis comminantur, quemadmodum vel in Dilligenſium *Iuſta defenſione* videre eſt, libro omnibus impatientiæ, levitatis, iracundiæ arrogantiæ & maledicentiæ notis inſigni, quo nihil triviali & ſolutiſſimi oris ſcurra dignius à multis iam annis exiiſſe puto, ex quo

qui-

qui ſoli excerpere convicia ac maledicta voluerit, facilè iuſtum volumen expleverit, ut minimè dubium ſit, quin hominum iſtorum ferè *terrena, animalis & diabolica ſit ſapientia*, qui tàm parùm memores ſe probent, quid à ſuis Chriſtus exigat Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt.* Nimirum ſatis conſcii ſibi ſunt, nullam ſe calumniam ſuſtinere, nec propter Chriſtum, aut iuſtitiam à quoquam oppugnari vel perſecutionem pati, ſed propter Singularitatem, quàm vocant, ambitionem & avaritiam, quæ Deo & hominibus, niſi quos aſſentatione ſua faſcinarunt, inviſos reddunt, quod Mariana libro de Morbis Societatis cap. 19. totidem verbis confitetur: *Homines ſcandalizantur, murmurant noſque perſequuntur NON aliam ob cauſam, quàm quod nos adeò* SINGULARES & INTERESSATOS *vident*; (omnia ſcilicet ad noſtrum emolumentum & honorem referentes, tamque penitùs moribus & inſtitutis noſtris omnium aliorum Religioſorum diſſimiles.) *Multi Ordines Religioſi, poſt noſtrum, aut paulò prius fundati fuerunt: nihilo minus omnes ſimul non ſuſtinent tantam perſecutionem, quantam ſola Societas noſtra ſuſtinet.* Et quia perſecutionis huius cauſa non eſt Chriſtus aut regnum eius, minimè mirandum eſt, quod illi vexatores ac per-

ſecutores maledictis & malefamis ulciſci, eo-que pacto metum alijs incurere, ſibi verò ſe-curitatem parare tentant. Eſt ergò cur meri-to ſuo idem, quod eorum maiores, à Chriſto audiant; *Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab ini-tio, & in veritate non ſtetit. Et vos quæritis inter-ficere hominem* (& Pontifici, Cæſari, Principi-b⁹ Epiſcopis inviſū facere) *qui veritatem vobis loquitur*; ut vos Chriſto lucretur, & ab iſta Pharisæorum imitatione abducat. Et tamen adhuc de iſto omnium ferè qua Catholicorum qua Hæreticorum erga ſe odio magnificè gloriantur, eiuſque patientia mereri ſe putāt, ut non modò alijs Religioſis, ſed ipſi etiam Apoſtolo Paulo & Eliæ Prophetæ anteponan-tur; ut videre eſt in libro, quem Poloniæ Je-ſuitæ ediderunt; quemque Nicolaus à Jeſu Maria in Apologia Romæ & Ravenſburgi nu-per edita confutavit, propoſit. 48. 49. & 50. Etiam Moguntinæ provinciæ Patres epiſtola in Regiam Cæſaris miſſa in eandem ſententi-am ſcribunt; *Novi probè ſanctam noſtram Socie-tatem multos ac potentes ſentire æmulos, invidos, adverſarios: nec malè iis precabor, ominor tamen* (ac tamquam prophetico ſpiritu, quo San-cta Societas plena eſt, teſtor ac prædico) *fore ut illi poſterique eorum ſentiant Deum ultorem ma-lefactorum: atque utinam non cum æterna ſalutis diſpendio experiantur, ſe divini oculi pupillam*

(id'eſt; Societatem) *læſiſſe.* Sic videmus, quomodo eos ulciſcantur, qui ſacrilegæ eorum cupiditati obſtant, Cæſarique ſuadent, ut Monaſteria iiſdem Ordinibus reddantur, quibus ea Proteſtantes ademerant, nec ea invitis conditorum voluntatibus ad Jeſuitas transferri patiatur. Hos Jeſuitæ condemnant invidiæ & atrociſſima in Deum iniuriæ, qua meruerint, ut ipſi & poſteri eorum omnia huius & futuræ vitæ ſupplicia perſolvant. In eadem epiſtola ſcribunt: *Paucos Romæ amicos numeramus, qui benevolè nos audiant*, ac propterea poſtulant, ut, Imperator Monaſterium Claravallenſe occupet, & clàm Pontifice atque omnibus alijs inopinantibus DESUBITO Societati donet, *nequid Romæ obijciatur impedimenti.* Et adhuc Sacrilegi Sacrilegiorum magiſtri ac ſuaſores ſe inviſos eſſe, ac neque Pontificem & Romanos habere propitios conqueruntur? *Venit hora* (ſcribunt Moraviæ Jeſuitæ, ad magni meriti & nominis Antiſtitem) *in qua arbitratur* QVISQVE *obſequium ſe præſtare Deo, cùm de Ieſuitis mala OMNIA ſuſpicatur, & ſentit & loquitur. Nec Religioſus pœnè ullus, nec politicus, nec hæreticus Ieſuitas aut religioſe vivere aut veritatem loqui exiſtimat.* At enim *Caritas non cogitat malùm*, ait Paulus 1. Corinth. 13. & *Sapientia quæ deſurſum eſt, plena eſt miſericordia, & non iudicat*, Jacob. 3. Itaque Jeſuitarum iudicio vix ullus eſt Religioſus

aut Politicus inter Catholicos, qui non pariter cum Hæreticis ignem æternum mereatur. Qui enim malè cogitat & iudicat fratrem non diligit. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem*, 1. Johan. 3 Soli ergò hominum Jeſuitæ ſunt digni Chriſto diſcipuli & Caritatem, vitæ æternæ pignus habent. Sed Hæretici, Catholici Politici (id eſt, qui non per omnia Jeſuitis obſecundant) Religioſi ferè omnes, & Romani paucis demtis, atque ipſe Pontifex, tamquam Caritate erga Jeſuitas vacui, omniaque de ipſis mala ſentientes, nec Monaſteria eis ſuffragio ſuo tranſcribentes ſunt homicidæ, & ex patre Diabolo, & *ibunt in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*. Hoc ſpecimen eſto Patientiæ Jeſuiticæ: undè pariter, quanta eorum Sapientia ſit, dilucescit. Quid enim fieri poſſet dementius, quam in eo opere ſuam profiteri operam, eiuſque conficiendi ſibi provinciam dari poſtulari, cuius inſtrumento maximè neceſſario carere ſe fateatur? In negotio quippè ſalutis alienæ tàm neceſſaria eſt Bona Fama, quàm in negotio ſalutis propriæ Bona Vita: & ſicut ſine bona vita nemo ſeipſum, ita ſine bona Fama nemo alios poteſt ſalvos facere. In quam ſententiam S. Auguſtinus ſcribit: *Quisquis à criminibus flagitiorum atque facino-*

rum

rum vitam ſuam cuſtodit. ſibi benè facit (ſive ſeipſum ſalvat) *quisquis autem* præter vitam ſ:-am *etiam Famam* cuſtodit, hic *& in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis Fama noſtra.* Nec verò alia fuit S. Ignatij ſententia., dequo in vita eius Maffeius ſcribit lib. 2. cap. 8. *Omnium qui ad Rempublicam accedunt rationes, non Veritate ſolùm, ſed etiam Famaniti cēſebat.* Atq; hāc ob cauſā Bonæ famæ ſtudium tàm accuratè Spiritus Sanctus commendat. Phil. 4. *Quacunque ſunt amabilia, quacumque bona fama, ſi qua virtus* (bona vita) *ſi qua laus* (bona fama) *hanc cogitate*, Proverb. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multa: ſuper aurum & argentum gratia bona.* Eccl. 7. *Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa.* Bonus enim vitæ odor homines ad benevolentiam allicit & ad audiendum ac credendum paratos facit Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri pretioſi & magni* Rom. 12. *Benedicite perſequentibus vos: bendicite, & nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes. Providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ* (ut Deus inimicis veſtris iratus retribuat, ſive in iuriam vobis factam ulciſcatur) *Noli vinci à malo* (ut alienis maledicas) *ſed vince in bono malum.* Hoc eſt ſcilicet *doctrinam Chriſti ornare in omnibus,*

Tit. 2.

Tit. 2. *ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur*, 1. Timoth. 6. Quam bonæ famæ curam 1. Th:ſſ. 5. Paulus ita commendat. *Ab omni mala ſpecie vos abſtinete*. Et 2. Corinth. 6. *Adiuvate ne in vacuum Dei gratiam recipiatis, nemini dantes illam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. Huius rei ipſe ſe formam dedit Paulus. 2. Cor. 8. *Ordinatus eſt ab Eccleſiis* (rogatu meo) *comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur á nobis* (id eſt, ad perferendam Hieroſolymas magnam pecuniæ vim in Achaia & Macedonia collectam in pauperum alimoniam) *Devitantes ne quis nos vituperet in hac plenitudine* (id eſt, ne cui de me ſuſpicioni locus eſſet, quaſi de tanta pecunia aliquid defraudaſſem, nec integrè pertuliſſem, propterea curavi, ut homo ſpectatæ fidei mihi comes adiungeretur) *Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Id eſt, minimè ſatis mihi eſt, me Deum innocentiæ habere conſcium, ſed etiã ſuſpicionem malam à me excluſam ac ſegregatam volo, quoniam qui Avaritiæ & pecuniæ publicę non ſatis fideliter tractatæ ſuſpectus eſt ac ſe ipſum quærere creditur, is miniſterium ſuum vituperat, eiuſque gratiam in vacuum accepit, nec idoneus novi Teſtamenti miniſter eſt. Suſpicio enim velut malus odor homines ab eo avertit, ut eum propiorem ſibi fieri aſpernentur. Propter

hanc

hanc ergò in amovenda à ſe ſuſpicione cautionem ac boni nominis curam de ſeipſo prædicat 2. Corinth. 2. *Deo gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, qui Chriſti bonus odor ſumus, odor vitæ in vitam iis, qui ſalvi fiunt. Non enim ſumus ſicut plurimi, cauponantes verbum Dei* (ſive *quæſtum putantes pietatem, nec contenti alimenta & quibus tegantur* ex Verbi miniſterio percipere, ſed *volentes fieri divites* & ſupervacua poſſidere, 1. Timot. 6) *ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur.* Cùm ergò Jeſuitas manifeſtum ſit cauponari verbum Dei, ac neceſſariis ad vitam minimè contentos, ſed Principibus & civitatibus & multis privatorum graves & oneroſos, nimiſque pretioſos eſſe, minimè iam mirandum eſt, eos Hircum olere ac Mephitim exhalare, hoc eſt, ſumma apud omnium ordinum homines infamia flagrare, adeoque ad manifeſtandam Dei notiam non magis aptos eſſe, quam Aſinum ad lyram aut Bovem ad clitellas. Manifeſta proindè eorum eſt ſtoliditas, cùm Monaſteria nequaquam Monachis reſtituenda, ſed ſibi, velut hominibus ad iuvandam ſpiritualem proximorum ſalutem aptiſſimis, immò prorſus neceſſarijs, donanda eſſe contendunt: & tamẽ tàm apertè ferũt, ſe ipſi etiã Põtifici & Romãis inviſos eſſe, & quaſi omnes viros Religioſ. OMNIA MALA de Jeſuitis ſuſpicari, ſẽtire

& loqui.

loqui, omninoque perſuaſum habere, neminem Jeſuitarum *aut religioſe vivere, aut veritatem loqui.* In quo etſi multò maiori Societatis parti ſit iniuria, id tamen certiſſimum eſt, eos qui ſive propter ſuum, ſive propter Sociorum culpam in tanta ſunt infamia, ad Eccleſiæ miniſterium penitùs eſſe inutiles. Quis enim ullius rei fidem illis habeat, quos Papa, quos Romani, quos omnes ferè Religioſi nec religioſè vivere, nec veritatem loqui perſuaſum habent? Quis etiam quicquam cum contumelia in Jeſuitas ſcribi iure indignetur, aut Famoſi libelli faciat invidiã, cùm Juriſcõſulti negent, *perſonam Infamem ulterius infamari poſſe?* cumque omnes bonos manibus & pedibus enixè omnia facere deceat, ut qui maximè neceſſario homines ad fidem & pietatem impellendi inſtrumento carent, procul habeantur, nec ad eam admiſſi provinciam alios eius rectè gerendi facultatem habentes impediãt? Sic certè Salomo fecit, nobiſque exemplum, quod imitaremur, reliqui Prov. 2. verbis hiſce: *Si intraverit ſapientia cor tuum, prudentia ſervabit te, ut eruaris à via mala, ab homine qui perverſa loquitur. qui relinquunt iter rectum* (quaſi dicat, Patris Ignatii inſtitutum) *& ambulant per vias tenebroſas* (ſemper ſub perſona vivunt, nec ulli ſimpliciter oſtendere ſe audent, avaritiam ſuam privatæq; utilitatis ſtudium nimis ſimulationum ac diſſimulationum invo-

volucris obtegentes) *quorum viæ perverſæ ſunt, & INFAMES greſſus eorum*, gravi omnium convicio ubique terrarum etiam à Religioſis vapulantes. Similiter Paulus Philip. 1. & 3. *Videte* (ſive obſervate & cavete) CANES (id eſt, Religioſos cuſtodiam domus Dei profitentes, ſed Canum plus in alijs rebus ſimiles, quales ſunt, aviditas, inſatietas, invidia, iracundia, mordacitas, impudentia, curioſitas in odorandis aliorum occultis dedecoru*m*, *ad vomitum ſuum reverſio*, dum quas *agnita iuſtitiæ via coinquinationes mundi*, ſeu ſæcularia negotia *reliquerant, his rurſus implicantur, retrorſum converſi ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato*, 2. Petr. 2. *videte malos operarios, inimicos Crucis Chriſti* (ſeu mortificationis, vitæ duræ & operæ) *qui terrena ſapiunt, quorum Deus Venter eſt. qui Chriſtum quidem prædicant, non tamen propter bonam voluntatem, ſed per occaſionem* (id eſt, lucri aut inanis gloriæ cauſa) *& propter invidiam atque ex contentione, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis*, ne quiſquam ad me vinctum audiendi Evangelij cauſa ventitet, *nec tribulationibus meis communicet in uſum mihi præbens*, aut ad victum neceſſaria ſubminiſtrans. *Ambulans quippe recto itinere & timens Deum deſpicitur ab eo, qui infami graditur via*. Proverb. 14. Omnes igitur bona fide Catholici, publicum Eccleſiæ bonum amantes & Jeſuitarum ſalutis cupidi, præcipuè verò

Reli-

Religioſæ profeſſionis homines, hoc Pauli & Salomonis exemplo omne hominum genus, inprimiſq; Principes & Magnates monere debent, ut ætatis noſtræ Canes maloſque operarios etiam atque etiam videant, ab infami eorum greſſu caveant, à via eorum mala & tenebroſa ſe cuſtodiant, nec uxores, liberos & domeſticos ſuos eorum fidei permittant, quoad in rectum iter, quod reliquerint, redierint, Hircumque olere deſiterint, & Oves Chriſti, quàm Canes, in medio Luporum eſſe maluerint, quàm etiam *Vulpes in deſerto* de Strage inter Gallinas danda, ſive de exædificandis aut pellendis Virginibus Deo ſacris capita conferentes, quam denique *Arietes & Hirci* in paſcuis & pratis, *infirma pecora lateribus & humeris impingentes, cornibuſq; ventilantes, donec foras diſpergantur*, Ezech. 13. & 34. Hoc pacto *via* Societatis *ſapietur ſpinis*, *& ſapietur maceria*, *& ſemitas ſuas non inveniet*, *& dicet, Vadam & revertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis, quam nunc. Et cavet iuxta dies iuventutis ſuæ*, & carmen iſtud, quod ex ore eius hodiè ſolùm auditur, Aſpendij ritu intus ſibi canere deſinet, manumittet etiam *duas illas Sanguiſugæ filias, dicentes, Affer, affer*, Prov. 30. Oſe. 2. Hoc quidem ut ei eveniat, ex animo voveo, nec labori meo parco, ut poſthac neq; bonos & innocentes, quos in Societate multò plurimos inveniri credo, invi-

vidia factis paucorum conflata premat durius; & Societas ad dies adoleſcentiæ ſuæ reverſa, bonoque nomine recuperato notitiæ Chriſti odorem in omni loco manifeſtare poſſit. Interea verò qui ex Societate de Infamia ſua gloriantur, eiuſque perpeſſione ſe venditant, ac Prophetis & Apoſtolis propè maiores prorſuſque Martyrij palma dignos putant, eos ſibi ab Apoſtolorum principe dictum meminiſſe velim. *Chariſſimi, Si exprobramini nomine Chriſti, beati eritis. Nemo autem veſtrum patiatur* (aut infametur) *ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum* (maximè Monaſteriorum) *appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.* Si ergò Jeſuitæ in nomine Chriſti exprobari ſe putant, habent cur beatitudinem ſpe ſibi deſpondeant, patientiam animique firmitatem in maledictis præſtando. Sed maledicta conviciis remunerantes, cum ſpem ſuam faciunt irritam, tùm mala impatientiæ ſpecie alios offendunt, & ipſam etiam, cui patrocinantur, veritatem ſuſpectam & inviſam faciunt. Vt enim Prover. 14. docemur: *Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia: qui impatiens eſt, exaltat ac manifeſtat ſtultitiam ſuam.* Et prover. 18. *Honor eſt homini, qui ſeparat vel abſtinet ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.* Prov. 19. *Doctrina viri per patientiã noſcitur.*

ſcitur, & gloria ejus eſt iniqua prætergredi, nec omnia adverſus ſe dicta aut ſcripta reſponſo excipere. Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos* Proverb. 27. *Sicut ferrum ferro acuitur, ſic homo* (verbis pugnans) *exacuit faciem amici ſui*, ſive irritat. Proverb. 15. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Proverb. 25. *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiem.* Ex iſtis omnibus nemini paulum modô intelligenti dubium eſſe poteſt, quin tot Eriſtici & contentioſi in Hæreticos libri, de quibus Jeſuitæ gloriantur, eoq; nomine Monachis multò Eccleſiæ utiliores magiſque neceſſarii videri poſtulant, ipſorum quidem ſtultitiam exaltaverint, adverſarios verò exacuerint, furorem ſuſcitarint, rixas provocaverint, & Eccleſiæ inimicos multiplicaverint, ut in ipſis non minus locum habeat, quod de Canonibus & malis operariis Paulus ſcribit Philip. 3. *Quorum gloria in confuſione ipſorum.* id eſt, qui de illis rebus gloriantur, quarum cauſa, ſi ſaperent, erubeſcere eos oportebat. Boni enim operarii, quales Chriſtus mittit, ſunt Oves in medio Luporum, ſimiles Paulo ſic de ſe prædicanti 1. Corinth. 2. *Ego cum veniſſem ad vos, in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos* (ut Ovem à Chriſto ad Lupos miſſam agnoſcere in me liceret) *non in*

ſub-

ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ annunciavi vobis teſtimonium Chriſti. Prædicatio mea non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Mali verò operarii ſunt Canes non minùs, quàm Lupi, rictu dentium fidentes, armos autem validiores, clunes quidem non æquè infractas gerentes, hoc eſt, homines ingenio, literis, & eloquentia ac maledicendi facultate Hæreticis aut pares aut ſuperiores. Boni etiam operarii ſunt Parvuli, de quibus Chriſtus Matth. 11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Et Iſa. 60. *Opus manus meæ ad glorificandum* (id eſt, *Sacerdotes quos mittam ut gloriam meam gentibus annuncient*, Iſa. 66. de quibus Iſa. 29. dixerat: *Cùm viderit Iacob* ſive Eccleſia *filios ſuos*, *opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum* per vitæ ſanctitatem *& prædicantes* Deum *Iſrael*, *ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem*, id eſt Hæretici convertentur, cum Eccleſiæ miniſtri verbo pariter & opere docuerint) *Eorum minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortiſſimam.* id eſt, tales Sacerdotes etſi ad eruditionem & eloquentiam ſint contemti atque infantes, innumeros tamen in Chriſto filios gignent. Ierem. 49. & 50. de Eccleſiæ inimicis: *Conſilium Domini adverſus eos est deiiciăt eos parvuli gregis, ut diſſipent cum eis habitaculum eorum.* Pſal. 8. *Ex ore infantium & lac-*

Bentiũ perfeciſti laudem, ut deſtruas inimicũ & ultorem. Pſ. 63. *Protexiſti me à conventu malignantium. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus* (id eſt Eccleſiæ hoſtes in ſublime tollentur, magnamque habebunt in viribus ingenij ſui fiduciam, ſed Dei potentia multô apparebit ſublimior, cùm eos per homines infantia ſermonis deſpicabiles devicerit) *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum*, ita ut iſti ſermone tàm potentes coram parvulis obmuteſcere cogerentur. Hos enim parvulos Deus docet ſcientiam. Pſal. 18. *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præbens parvulis.* Iſa. 28. *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus.* Sed iis qui præ parvulis illis Gygantes & in bello invicti videntur, nec ſcientiam Deus, nec victoriam impertitur Pſal. 33. *Gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ.* Baruch. 3. *Ibi fuerunt Gigantes nominati* (ſeu magni nominis) *ſtatura magna, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ invenerunt. Et quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam.* Boni etiam Operarii ſunt Iumenta placabilia & manſueta, ſicut Pſal. 72. docemur: *ad nihilum redactus ſum, & neſcivi: ut Iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, ut annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* id eſt, ut *prædicem verbum, arguam;*

arguam; obſecrem, increpem in omni patientia & doctrina. Talia Iumenta ſuos Chriſtus eſſe jubet. Math. 11. *Diſcite à me, quod mitis ſim & humilis corde. Tollite ſuper vos jugum meum, & onus meum*, velut aſini dorſuarii, aut ſagmarii. Similiter & Iſa. 32. Prædicatores ita deſcribuntur: *Beati qui ſeminati ſuper omnes aquas* (id eſt, qui omnib. populis verbum Dei prædicatis. Nam *qui ſeminat, verbum ſeminat*, Marc. 4. & *Semen eſt verbum Dei*, Luc. 8. *Aquæ, populi ſunt & gentes, & linguæ*, Apoc. 17. Beati ergò eſtis, qui ſeminatis) *immittentes pedem bovis & aſini.* hoc eſt, bovis & aſini manſuetudinem ac patientiam exhibentes. Et Iſa. 1. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Ut enim Proverb. 19. ſcriptum eſt, *Doctrina Viri per patientiam noſcitur.* Id eſt, ex patientia apparet, an aliquis ſit Doctor, qui in ſchola Chriſti didicerit, ibique Doctoratûs gradu potitus fuerit. Mali viciſſim operarii ſunt Iumenta ferocia parumque domita, ſicut *Mulus & Equus, quibus non eſt intellectus, quorum maxillas in camo & fræno conſtringere multisq; flagellis* domare oportet, *ut approximent* morigerique fiant, Pſal. 31. *Sicut Equus impetu vadunt ad prælium*, Jerem. 8. & ſicut Taurus ſylveſtris, cujus diſſimilem eſſe oportet, qui operam ſaluti aliorum navare cupit, ut Eccle. 6. monemur: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut Taurus, ne fortè elidatur virtus tua*

per ſtultitiã (id eſt, *ne Sapientia hu⁹ mundi quæ ſtultitia eſt apud Deum*, prædicationem tuam evacuet, ut in vanum labores. 1. Cor. 3.) *& ſolia tua comedat & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo quod non videbit, cùm venerit bonum* (Jerem. 17) id eſt, omni optato ſucceſſu fruſtrabitur. quod ipſum iis, qui Equorum ſe ſimiles præbent, eventurum eſſe ſic docemur Pſal. 32. *Fallax equus ad ſalutem, in abundantia virtutis ſuæ non ſalvabitur.* Et Pſal. 146. *Non in fortitudine Equi voluntatem habet Dominus.* Iam verò Jeſuitas velut Canes, Tauros, Equos aut Gigantes ſibi de robore, de multitudine virtutis ſuæ, de ſtatura magna, deque ſcientia belli; hoc eſt, de ſuis ingenii, doctrinæ & eloquentiæ præſidiis magnopere placere, ac proptereà à Deo non eligi ad utilem animabus operam navandam, ſed velut gloriæ divinæ fures & improbiſſimos depeculatores impediri & ſterilitate damnari, Alfonſus Rodericius, ſpectatiſſimæ pietatis & doctrinæ Jeſuita, dolentiſſimè deplorat Exercitii Perfectionis parte 2. tract. 3. cap. 4. de Humilitate. *Ignatius* (inquit) *primus Ordinis noſtri parens non in verborum cultu, ſed in oſtenſione ſpiritus ac virtutis momentum rei collocabat. Hic equidem neſcio ego, an iſta cordis flamma adhuc in filiorum pectoribus exæſtuet, an verò contra potiùs facti* DEGENERES, *inſtitutionis*

nec-

noſtræ CAPUT *ſit humana prudentia , litera, doctrinæ oſtentatio , uno verbo* ROBUR BRACHII NOSTRI, *intelligentiaque naturalis & eloquentia: quibus dum nos vaniſſimè* JACTAMUS, *ridet ex alto Deus, quaſi ſic nos* (Jeſuitas) *alloquens: Benè habet, jactabunde. Faciam ego dum tu calamiſtratis illis fucatisq; eloquentiæ ſtyliquæ verbis inceſſeris, elatus, tumidus, typho ſuperbiæ velut quadrigis invectus,* NIHIL *proficias, impleaturq; in te ac tui ſimilibus, quod Oſeas olim Propheta prædixit*: Da eis Domine, quid dabis eis? Da eis vulvam ſine liberis, & ubera arentia. *Quaſi diceret: Efficiam te matrem ſterilem, matrem inquam ſolo ac nudo nomine. Audies quidem concionator, audies Spiritualis Pater: ſed filios non habebis.* NIHIL *bonæ frugis produces. Nimirum hic arrogantiæ tuæ partus eſt, furtiq; quod in vindicandis tibi donis boniſq; Dei commiſiſti. Intumeſcens in donis gratiæ, ut quod Sanctus ſit, quod fructum in animis mortalium faciat, ille demum* INFAMIS *latro* ſeu fur *eſt, diviniq; honoris ac gloriæ turpiſſimus depeculator. Hæc enim Dei ſunt gemmæ, quæ tanto conſtitere, ut eas ſempiternus Dei filius pretio ſui ſanguinis debuerit mercari. Quantò plus nobis arrogamus, tantò plus Deo ſuffuramur. Ex qua inſolentiſſima arrogatione illud ſequitur, ut* NIHIL PENITUS *ſolidi fructus referamus, quod utinam interdum non æquo experiremur.*

Hoc loco venit in mentem, quod de Cretenſibus Paulus ſcribit Tit 1. *Dixit quidam ex*

illis, proprius ipſorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. *Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam, increpa illos dure.* An ergò recuſabunt Jeſuitæ, quin hoc de illis teſtimonium verum ſit, cùm quidam ex illis proprius ipſorum Propheta id dixerit, cuius illi libros plus octies prelo ſubiecerunt & Latinè conversos publicarunt? Quod ſi recuſare id nequeunt, non minus illud ratum eſſe volent, quod ſubiicit: *Quam ob cauſam increpa illos durè.* Cuius præcepti vis eſt, duram hominum huiuſmodi increpationem ſaluti eorum non modò conducibilem, ſed etiam omninò eſſe neceſſariam, proptereaque ab eo, qui ſaluos eos præſtare debet, ſine peccato prætermitti non poſſe. Hæc porrò Principum cura eſſe debet, qui Jeſuitas ſibi viæ ad cœlum duces, arcanorum arbitros & contubernales adoptant. Hi enim niſi provideant, magno fortaſſe malo ſuo aliquando experientur, quid ſit illud Iſa. 1. *Principes tui infideles, ſocii furum.* Et Pſal. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo,* quod tamen non eo velim accipi, quod ipſe tales eſſe ſuſpicer, ſed quod illi cur ex ea nota credantur, occaſionem aliis præbeant. Cùm enim haud ignorent, quod jam lippi omnes ac tonſores norunt, Jeſuitas quo jure quaque injuria publicè Infames eſſe & ab omni propè genere humano peſſimè audire, primariorum quoque ſui Ordinis homi-

num

rum Aquavivæ, Marianæ & Rodericii ſtylo non trolatitiè vapulare, abeſſe non poteſt; quin *picem tangentes inquinentur ab ea*, & ex illorum Infamia, quorum conſortium omnium Religioſorum conſuetudini anteponunt, aliqua exiſtimationi eorum labes adſpergatur. Univerſè Spiritus ſanctus pronunciat: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum, ſimilis efficietur*, Proverb. 13. In quam ſententiam Seneca, *Vnum*, inquit, *exemplum luxuriæ aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat & emollit: vicinus dives cupiditatem irritat malignus comes quantum vis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit.* Et Epictetus: *Fieri nullo modo poteſt, quin ſi quis cum fuligine oppleto verſetur, & ipſe fuliginoſus evadat.* Nullius proinde æquè ac Principum cùm ad honorem & exiſtimationem, tùm vel maximè ad animæ ſalutem intereſt; ut Jeſuitæ benè ab omnibus audiant, quorum illi non tantùm familiari conſuetudine, ſed etiam magiſterio & in rebus omnium maximis conſilio utuntur.

Liber hic ad Sacra Romanæ Eccleſiæ tribunal ſtat: Ibi ſe judicari opportere adverſus omnes proclamat.

F I N I S.